A Gallis & Venetis Veronam obſidentibus. Odettus Lotrechius Gallus, Inſubrum præfectus, tametſi hominem, qui omnibus bellis acerrimus Gallorum hoſtis extitiſſet, publicè oderat, atque ut erat potiundæ urbis & militaris gloriæ avidus, plurimùm adverſarii ducis incommodo lætaretur: tamen quum ſingularis viri caſum magnoperè doluiſſet, & medicum obtulit, & quotidie ad eum graviſſimarum rerum munera, ſicuti morbus & afflictæ urbis miſeria flagitare videbantur, officioſè humaniſſimèque tranſmiſit. *Sab. ſuppl. lib.8. ex Iovio.*

OFFICII. Sic exercetur

ERGA SENATORES.

IMP. Romani peregrè profecturi, & mox urbem repetentes, ſenatores ex more oſculis excipere conſueverant. Propterea in Nerone Tranquillus, Neque adveniens neque proficiſcens quendam oſculo impertivit, ac ne reſalutatione quidem. *Cæl. lib.4. c.3. A. L.*

ERGA MILITES.

☞ *Vide ſuprà, Duces populares.*

DAVID Rex, compatiens laſſis ſociis, qui ad bellum ire non poterant, conſtituit, ut æqua pars eorum eſſet, B qui deſcenderent ad prælium, & remanentium ad ſarcinas. 1. *Reg.*30.

ALEXANDER M. victo Dario, cùm Macedonas infirmos & ætate graves domum remitteret; Eurylochus autem Ægeus retuliſſet ſe inter ægrotos, inde compertus nullo morbo teneri, Teleſippæ amore confeſſus eſſet ſe deperire, ac comitari ad mare velle abeuntem; quæſivit, cujus conditionis mulier eſſet. Audito, meretricem liberam eſſe: Habes nos, Euryloche, inquit, tibi in amore faventes. At tu da operam, quandoquidem libera eſt Teleſippa, ut vel donis vel verbis eam inducamus. *Plut.* ☞ *Vide idem paulò ante, §. Valetudinis erga ægrotos.*

GREGORIUS quidam Macedo mulum onuſtum auro regio agebat. Defeſſo jumento, ſarcinam ipſe in humeros ſublatam portabat. Vidit Rex Alexander onere oppreſſum: ac re intellecta, cùm ille id depoſiturus eſſet: Ne defatigeris, inquit, ſed abſolve reliquum itineris, atque in tentorium tuum hoc defer. *Plut. in Alexandro.*

ANTIGONUS Rex, obſidens Thebas cum patre Demetrio, cùm videret patrem ex pervicacia magis, quàm ex utilitate op- C pugnare urbem, militeſque non paucos cadere, magno dolore percitus: Quid pater, inquit, perire hos nulla ſubigente neceſſitate floccipendimus? Tum ille ira percitus: Quid tu, inquit, cruciaris? anne admenſurus frumentum occumbentibus ſis? *Plut. in Demetr.*

C. JUL. Cæſar in milite non philoſophorum auſteritatem, ſed civilem modeſtiam, ac virtutem ad res gerendas requirebat. Longinquo hoſte, liberiora militibus diſciplinæ fræna remittebat, ut poſtea propinquior factus, cùm ita militum animos recreaſſet, promptioribus adverſus hoſtem uteretur. Nunquam prælii aut expeditionis tempus militi prædicebat, ut omnibus horis præſto eſſe, atque in mediis deliciis, ſi juberentur, deſcendendum eſſe in prælium ſcirent. Quòd ſi nimia indulgentia milites ad contumaciam deſcendiſſe animadvertiſſet, ceu bonus inſeſſor moderatè fræna contrahendo, militare imperium ſibi vendicabat. Eos pro concione, non milites, ſed blandiori nomine Commilitones appellabat. *Sveton. & Polyænus lib.8.*

ERGA RUSTICOS.

LEO X. Pont. Max. erga ruſticos mirum in modum fuit mu- D nificus, ut etiam ejus adventum ſe vel fructuoſiſſimis meſſibus feruliorem ſentire faterentur: utpotè qui ſenibus ac pueris puelliſque in viam effuſis, ac ruſtica munera paſſim offerentibus, non modò pecuniam largiſſima manu rependeret, ſed etiam appellando humaniter, ac ſciſcitando quanam maximè in parte rei domeſticæ acriùs à fortuna premerentur, Virgines dote præbita ſublevaret: affectis autem morbo ac ætate, vel numeroſæ familiæ onere prægravatis, æs alienum protinùs diſſolveret. *Iov. in Leone X. lib.4.*

ERGA CONDISCIPULOS.

GORDIANUS junior fuit tantæ probitatis, ut quum æqualium aliquis apud præceptorem flagro adhiberetur, daret in id ſupplicium lacrymas. *Sab. lib.6. En.7.*

SOCIETATIS. E

ERGA HOMINES UNIVERSIM.

ALEXANDER Magnus operam dabat, ut omnes homines benevolentia ſuperaret. Itaque ſtatuebat omnes pro mortalibus, viris, maribus, meropibus & hominibus, Alexandros appellare. *Polyæn. lib.2.*

ERGA GENTILES, POPULARES.

☞ *Hæc propriè Popularitas, quæ erga Populum exercetur.*

MENELAUS *apud Eurip. in Oreſte* Græcis humanitatem erga ſuos tribuit.

Ἑλληνικόν τι, τὸν ὁμόθεν τιμᾶν ἀεί.
Græcanicum eſt cognatum colere ſemper.

ERGA REGES, MAGISTRATUS DUCES.

ALEXANDER M. ſagitta ictus, ſella vehebatur. Ubi caſtra mota ſunt, ingens certamen geſtandi regis eſt inter Equites & Milites ortum, tantiſper dum vulnus curaretur. Ille ratus fore, F ut dum unis omninò ſe crederet, alios offenderet, per vices gratiſſimum onus utriſque partitus eſt. *Sab. lib.5. En.4.*

CORN. Lentulus patricius Rom. L. Æmilium Paulum Coſſ. vulneribus confectum in pugna Cannenſi, ſervare ſtuduit. Delapſus enim equo, cùm eum in ſaxo luctu oppreſſum & facie cruore oppleta ſedere videret, admotum equum capere juſſit, & ſe ſervare civibus, qui tum ut cùm maximè bono conſule haberent opus. Ille verò refragatus huic petitioni, coegit adoleſcentem equum repetere. Moxque dimiſſo cum mandatis Lentulo, in mediam ſtragem ſe invehens, oppreſſus eſt. *Plut. in Fabio.*

ERGA SUBDITOS.

☞ *Vide Tit. Reges populares.*

GELO victis Carthaginenſibus, rerum potitus, convocata Syracuſiorum concione, armis indutus in ſuggeſtum aſcendit; & commemoratis ſuis erga illos meritis, inſidias ſibi paratas detexit: atque exutis armis, dixit ad univerſos: En igitur amictus tunicula aſto, & dedo me vobis, ut pro voluntate libitoque mecum agatis. Cùm igitur Syracuſii ſuppliciis afficiendos inſidiatores ei tradidiſſent, & illum regnare juſſiſſent, etiam G hos puniendos reliquit populo. Quamobrem ſtatuam ei poſuerunt, in diſcincta tunica, cum epigrammate. *Ælian. de Var. hiſt. lib.13. & lib.6.*

ERGA CIVES, POPULUM.

ROMANA plebs in patriciorum equitumque, id eſt, totius nobilitatis tutela erat, per clientelas diviſa. Ipſius cauſa patricii equiteſque gratis tuebantur. Populus quoque nobilibus cùm peterentur honores, ſuffragiis ſuis aſſiſtebat. Plebi puellarum dotes patricii perſolvebant, atque in bello captos redimebant; à neutris autem hæc officia improperabantur. Sed haud diuturnus tam ſanctus inter eos mos manſit, qui inter ipſos amoris ac fidei verum & firmum vinculum erat, & Romanis rebus felicitatem afferebat. *Fulg. lib.2. c.1.*

P. VALERIUS cùm populo, cujus favore ampliſſima quæque in Republ. conſecuturum ſe ſciebat, in omnibus obſecundaret, Poplicolæ nomen obtinuit. *Plut. in Poplicola.*

ALCIBIADES populum Athenienſem vita diſſoluta quantùm offendit, tantùndem viciſſim virtutibus, forma, comitate ſua ſibi devinxit, ut etiam vitia ejus benigniore appellatione mitigarent, & maris imperium ei decernerent: captis denique à Lyſandro Athenis, unicam in Alcibiade ſpem libertatis re- H cuperandæ haberent. *Plut. in ejus vita.*

ERGA AMICOS.

ALEXANDRI Mag. benefacta minima in amicos, ingentis fuerunt benevolentiæ & honoris, quem illis habebat, ſignificationes. Moleſtum ſibi eſſe mandavit per literas Peuceſtæ, Morſum ab urſo ipſum, quòd aliis ſcripſiſſet, ſibi non ſignificaſſet: At nunc certè, inquit, ſcribe, ut vales, & num qui te ſociorum in venatione deſeruerunt, ut pœnas dent. Ephæſtioni ob certa negotia abſenti, pugnantibus per ludum ipſis cum Ichneumone, Craterum ſcripſit in lanceam Perdiccæ induiſſe ſe, vulneratumque in utroque femore fuiſſe. Cùm Peuceſtes ex morbo quodam revaluiſſet, ad medicum Alexippum ſcripſit, agere ſe ei gratias. Cratero affecto, cùm viſio eſſet ei per quietem oblata, & ipſe pro ſalute ejus ſacrificavit, & illum juſſit. Pauſaniæ medico ſcripſit, ubi elleboro eum purgare Craterum accepit velle, partim æſtuans, partim admonens, quemadmodùm medicamentum propinaret. Illos, qui Harpali fugam primi nunciaverunt, in vincula conjecit, Ephialten & Ciſſum, tanquam

A mendacia de eo nunciantes. Mirum verò eſt vacaſſe eum etiam hactenùs amicis, literas ut hujuſcemodi mitteret, cujuſcemodi ſcripſit, Seleuci puerum, qui in Ciliciam profugerat, imperans requiri: Peuceſtam commendans, quòd ſervum Crateri Niconem corripuiſſet. *Plut. in Alex.*

AUGUSTUS Cæſar, amicos ita magnos & potentes in civitate eſſe voluit, ut tamen pari jure eſſent, quo cæteri, legibuſque judiciariis æquè tenerentur. *Sveton.*

TIBERIUS Cæſar cum amicis verſabatur ut privatus: iiſque cùm rei eſſent, præſtabat patrocinium. Intererat eorum ſacrificiis, viſitabat ægrotantes, nullis ſtipatus cuſtodibus: quin etiam defunctum amicum & familiarem ſuum laudavit in funebri concione: cumque conventus & ludi celebrarentur, eos ipſe ſpectabat de domo cujuſdam Cæſariani aut liberti, ut poſſent homines proximè, & facillimè ad ſe convenire. *Dion. Nicæus in Tiberio, & Sveton.*

M. ANTONINUS Pius amicis ſuis in Imperio haud aliter uſus, quàm privatus. Creber ac frequens cum his, & deambulatione, & ſermone, & conviviis: cùm & ipſe nonnunquam amicorum convivia ceu privatus frequentaret.

B ERGA DOMESTICOS.

☞ *Et hæc Familiaritas propriè à familia. Transfertur deinde ad quamvis privatam humanitatem, ut Popularitas ad publicam.*

ERGA LIBEROS.

AGESILAUS Spartanus Rex, cùm parvis liberis in arundine quaſi equitans, domi colludere ſolebat. Conſpectus autem ab amico quopiam, oravit, ne cui id priùs enunciaret, quàm ipſe liberorum pater foret. *Plut. in Ageſilao.*

Proclus Naucratites filium habebat intemperantem, gallis gallinaceis, coturnicibus, catellis, & equis alendis indulgentem: quem pater adeò non increpabat, ut unà cum illo potiùs juvenaretur. Quo nomine quum ab amicis objurgaretur: Citiùs, inquit, deſinet cum ſenibus colludens, quàm cum æqualibus. *Plut. Philoſt. in Sophiſt. & Volat. lib.8. Comment. urb.*

GALLIUS Athenienſis, vir clariſſimus, & ſummus Piſiſtrati hoſtis, filiabus tribus, poſteaquàm nubiles extitere, hoc magnificentiſſimum munus eſt gratificatus: ut quem ſibi unaquæque vellet ex omnibus Athenienſibus, ceu ſponſum deligeret. C *Herod. lib.6.*

ERGA CONJUGES.

Uxores Numidarum adeò humiliter viris ancillantur, ut equos curent & inſternant. *Iov. lib.33. Hiſt.*

THEMISTOCLIS uxor Archippa, parendo diligentiſſimè conjugi ſuo Themiſtocli, tanto ſibi illum amore devinxit, ut viciſſim ipſe prudentiſſimus vir, ac in primis ſtrenuus imperator, uxori penè in omnibus obſequeretur. Unde gradatio illa Græcorum per jocum à multis jactata: Quicquid puer hic vult (Cleohpantus is erat, patri unicè charus) Græci volunt; nam quod hic vult, mater: quod verò mater, idem Themiſtocles: porrò quod Themiſtocles, id Athenienſes: quod Athenienſes, hoc Græci omnes. *Ludov. Vives de Chriſt. fem. lib.2. ex Plut.*

RUBRIUS Celer vixit cum Caja Ennia uxore ſua annos XLIII. menſes IIX. ſine ulla querela.

ALBUTIUS vixit in conjugio cum Tarentiana Valentiniana ann. XXV. ſine ullo jurgio.

ERGA SERVOS.

D Apud Iſraelitas ſervitutis leges à Domino per Moyſem latæ de dominorum poteſtate erga ſervos, humanitatis plenæ erant, ita ut ſi Iſraelita alteri præ egeſtate ſerviret, non haberet poteſtatem eum venundandi, ſed perinde ac mercenarium & advenam tractaret, & anno jubilei liberum dimitteret, niſi interjecto tempore ſeipſum redemiſſet, vel à conſanguineo ſuo redemptus fuiſſet. *Levit. c.25.*

ESSENI Judæorum, ſervos habere nolunt, ne humanæ naturæ injuriam faciant: Natura enim omnes ex æquo liberos eſſe. *Joſeph. lib.18. c.2. Antiq.*

GERMANIS verbere ſervum afficere, aut vinculis coercere nefas habetur. Apud eos enim laxior ſervitus erat, & liberrimis ferrè par: quippè ſibi acquirunt ſervi & peculium habent. *Alex. ab Alex. lib.3. c.20.*

GILLAS Agrigentinus. ☞ *Vide Tit. Humanitatis acquiſitio, §. erga ſervos.*

Apud Rom. menſe Martio matronæ cœnas apponebant ſervis, uti domini Saturnalibus menſe Decembri: illæ, ut principio anni ad promptum obſequium honore ſervos invitarent; hi quia gratiam perfecti operis exolverent. *Macrobius lib.1. cap.12.*

Romani veteres menſam tolli vacuam non patiebantur, ſed E in ea ſemper aliquid edulii relinquebant famulis, eorumque proli: ut non tam eis quod ſumunt, quàm quod domini eis impartiuntur, gratum foret. *Plut. lib.7. Con. quæſt.4.*

THEODOSIUS Jun. Imp. cùm ſacrorum lectioni adeò eſſet intentus, ut nocte eis legendis operam navaret, curavit ſibi lucernam fieri, quæ ſponte ſua accenderetur, & oleum miro artificio affunderet, ne quem miniſtrorum eo labore gravaret. *Niceph. lib.14. c.3.*

MARTINUS Epiſcopus Turonenſis, dum adhuc ſtipendia faceret, nec tamen tam Cæſari quàm Chriſto militaret, præter illud celebratiſſimum eleemoſynæ opus, haud minùs celebre præſtitit humilitatis exemplum. Uno ſervulo contentus, eundem ut fratrem dilexit, ut dominum coluit, cœnanti miniſtrabat, cubitum eunti calceamenta detrahebat, cæteraque penè omnia mutata cum illo officii vice exercebat, ſervus ſervi factus, ut Chriſto ſe ſervire probaret, non mundo. Miles erat, necdum baptizatus, ſed tantùm catechumenus; & jam perfectionis viam ingreſſus, Spiritus S. ſententiam ſequebatur, per Salomonem in Proverbiis prolatam: Melius eſt humiliari cum mitibus, quàm dividere ſpolia cum ſuperbis. F *Marulus lib.1. c.5.*

ERGA FRATRES.

HIERO Syracuſanus laudabili animi magnitudine præditus, ſine omni jurgio fratribus tribus numero converſatus eſt, mirumque in modum tum ipſos amavit, tum ab iiſdem mutuo amore habitus eſt. *Ælian. lib.9. de Var. hiſt.*

T. POMPONIUS Atticus, nobilis eques Romanus, & familiaris Ciceronis, tam pius in ſororem fuit, ut per totam vitam nullam cum ea ſimultatem geſſerit: dictitans, Cum his quos diligas, minimè iraſci oportere. *Nepos apud Volat. lib.18. Anthrop.*

DISJUNCTIONIS.

ERGA PEREGRINOS, HOSPITES

Humanitas hoſpitalis.

☞ *Hoſpitalitatis exempla, propter liberalem* δόσιν & δαπάνην, *ad Liberalitatem pertinent: propter fidem, ad Juſtitiam. Hìc ſolius humanæ tractationis ratio habetur, qua vel pauperrimus aliquis erga locupletiſſimum poteſt uti. Vide Hoſpitalitas.* G

PHARAO Rex, Abraham peregrinantem benignè ſuſcepit. Amibelech itidem Gerarorum Rex in Palæſtina, erga Abraham in primis, deinde etiam erga Iſaac, qui famis cauſa Geraris diverterant, humanus fuit: quamvis cauſas haberet utriſque ſuccenſendi, propterea quòd ille Saram, hic Rebeccam ſorores eſſe dixiſſet. *Vide lib. Gen.*

ABRAHAM Patriarcha in Valle Mambre ante oſtium tabernaculi ſedet, ne quis pertranſeat, quem ad ſe divertere non roget. Tres venire videt, neque donec adveniant expectat, ſed currit obviam, atque adorat: ut hoſpites non fovendos ſolùm, ſed etiam honorandos ſcias. Orat, ne ſe prætereant, quaſi accepturus, non daturus beneficium. Et primùm aquam pedibus parat: ut doceat, omnium virtutum fundamentum eſſe humilitatem. Subcinericios panes, butyrum & lac, & vitulum coctum apponit: ut copioſè potiùs quàm luxurioſè hoſpites H paſcendos eſſe demonſtret. Denique diſcedentes deducit, ut quos benignè accepimus, eoſdem cum honore diſcamus dimittere: ne ſi incomitati hoſpitii limen exierint, expulſi magis quàm dimiſſi eſſe videantur. Nec arbitreris ideò illos ab eo ſic acceptos, quia ſciret angelos eſſe: ſed potiùs quia ſic homines acceperit, angelos quoque accipere meruiſſe, & tales angelos, in quibus ſub Trinitatis typo majeſtas unius Dei adoranda facilè appareret. *Marul. lib.1. c.3. & Sab. lib.7. c.6.*

LOTH Sodomæ eoſdem angelos hoſpitio ſuſcepit: nec rogavit ſolùm, verùm etiam compulit eos, ut apud ſe diverterent. Itaque alter, exoratos ſtatim ſuſcipiendos monet: alter, ſi ulteriùs recuſarint, cogendos ſuadet: arguens nempè illos, qui ſic ſummis labiis etiam notos interdum invitant, ut palàm ſit ipſos hoſpitales videri quàm eſſe malle. Loth præterea tanto affectu hoſpites ſuos ab injuria nefandiſſimorum hominum eripere nixus eſt, ut duas virgines filias pro illis ſtuprandas offerret. Sed perturbatus, flagitium flagitio voluit commutare: nos in illo fidem hoſpitii imitemur, non mentis turbationem, ne dum hoſpes præter modum defenditur, offendatur Deus. De-

A nique Angeli ut Loth gratiam referrent, illum de conſortio eorum, quos pro ſcelere ultum advenerant, cum ſuis ſimul incolumem eduxerunt. Cumque everterent Sodomam & Gomorram ſulfure & igne de cœlo miſſo, pepercerunt Segor propter eum, quia illuc confugerat; ne ſimul cum impiis perderent juſtum, & cum advenarum infeſtatoribus, advenarum ſuſceptorem. *Marul. lib.1. cap.3. & Sabell. lib.7. cap.6. ex Gen.19.*

Prompta ad hoſpitalitatem Rebecca, dicens ſervo Abrahæ; Palearum & ſævi plurimum eſt apud nos, & locus ſpatioſus ad manendum. Et paulò poſt dixit eidem Laban: Præparavi domum, & locum camelis. Item: Bibe domine mi: quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. *Geneſ.24.*

Vidua mulier Sareptana, hoſpita Eliæ prophetæ, ſua pietate & nobilis & beata. 3. *Reg.17.*

Sunamitis matrona perſuaſit viro ſuo, ut pararetur in domo ſua Eliæ locus aptus ad manendum. 4. *Reg.2.*

Senex quidam Ephraimita, civis Gabaenſis, Levitam, cui nemo alius hoſpitium concedere voluerat, cum uxore hoſpi- B tio ſuſcepit. *Judic.19.*

Ambulans per mundum Salvator mundi, in domo Marthæ & Mariæ præcipuè hoſpitium legitur habuiſſe. *Luc.10. Joan.12.*

Duo diſcipuli in caſtellum Emaus tendentes, cum Jeſu ſimul eunt, ſimul fabulantur; extremum ac peregrinum eſſe putant, donec compulſum ſecum manere, & ſecum recumbere, in fractione panis agnoverunt. Sic igitur hoſpitalitatis officium ad agnitionem Dei nos adducit, ut quem nunc in ænigmate & per ſpeculum videmus, poſt hæc facie ad faciem, & ſicuti eſt, videre valeamus. *Marul. lib.1. c.3. ex Luc.24.*

Melitenſes barbari in mari Adriatico ſumma humanitate erga naufragos, inter quos & D. Paulus fuit, uſi, accenſo igne eos refocillarunt. Publius inſulæ Primas triduo integro lautiſſimè eos tractavit, Cujus patrem febribus & torminibus laborantem Apoſtolus ſanavit. *Act.18.*

Quædam mulier purpuraria, nomine Lydia, credens concionibus D. Pauli, & baptizata cum domo ſua, inquit: Si exiſtimatis me fidelem Domino, intrate domum meam & manete. Et coegit nos, ait Lucas *Act.16.*

C Hecale anicula Theſeum adoleſcentem comiter hoſpitio ſuſcepit, ei apud Callimachum ſonchon & crethmum herbas parans. *Apulius, Plauſtus in Ciſtellaria*, Nunquam Hecale fies. *Ovidius de Rom. amoribus*,

Cur nemo eſt Hecalen, nulla eſt quæ ceperit Irum?
Nempè quòd alter egens, altera pauper erat.

Svidas Heroidem vocat. Plutarchus in Theſeo id omne ſomnium putat. Callimachum in Hecale opuſculo adducit. *Athen. Dipnoſ. 2.* Apollonii Argonaut. *α.* & Pindari hymno Nemeo *α.* gloſſematarii.

Cùm rapta fuiſſet Proſerpina, ac Ceres ejus mater jejuna illam quæreret, ab Hippothoonte Neptuni & Alopes filio, & è Meganira in hoſpitium fuit accepta. Meganira illi & menſam paravit & vinum miſcuit. Dea mœrens recuſavit, cùm diceret, ſibi non fas eſſe bibere vinum in filiæ calamitata: at cinnum è farina ſibi parari juſſit, quem bibit. Erat Jambe muliercula quædam Meganiræ ancilla, ut tradidit Philochorus, Pannos & Echus filia: quæ cùm deam mœſtam videret, ridiculas narratiunculas, & ſales jambico metro ad commovendam deam ad riſum, & ad ſedandum dolorem, interponebat. Quare genus id carminis non antè obſervatum, Jambicum ab D illa dictum fuit, ut teſtatur Nicander in Alexipharmacis. *Natalis Comes Mythol. lib.3. c.16.*

Hyricus Neptuni & Alcyones filius, quæ una fuit è filiabus Atlantis, in Tanagra civitate Bœotiæ habitavit. Cùm benignus eſſet erga hoſpites, dii quoque dicuntur in ejus hoſpitium acceſſiſſe; Jupiter, Neptunus, & Mercurius ab illo liberaliter tractari propoſuerunt, ut quodcunque liberet, peteret. Hic cùm adhuc eſſet ſine filiis, filium popoſcit. Tum verò dii in pellem mactati bovis profuderunt ſenem, juſſeruntque illam ſub terram occultare, neque ante decimum menſem aperire. Quibus menſibus peractis, natus eſt Urion, ita vocatus, quòd quaſi eum minxiſſent Dei: at verò propter devitandam turpitudinem vocis poſtea dictus fuit Orion. Ea propter illum Lycophron tripatrem vocavit. *Natalis Comes Mythol. lib.8. c.13.*

Admetus, Theſſaliæ Rex, amiſſa uxore Alceſtide, Herculem tamen hoſpitem ex improviſo ſupervenientem, nihilominus benignè ſuſcepit. Qua illius liberalitate motus Hercules, victa Morte, uxorem ei reſtituit. *Eurip. in Alceſtide.*

E Proxeni apud Græcos erant hoſpitibus excipiendis præfecti, qui ex civitatibus adventarent: propterea civitatum proſtatæ dicuntur, & phrontiſtæ; Proxenia verò nuncupatur munus ejuſmodi. Proxeni appellationem poſt Homerum irrepſiſſe, Euſtathius ſcribit. Eligi porrò ſolitos vel à populo, vel à rege. Inde *Herodot.* tradit, Spartanis fuiſſe decorum regibus, quem voluiſſent, demonſtrare, qui proxeni obiret functionem. *Cælius lib.11. cap.10. A. L. Plut. lib.7. Sympoſiacon*, narrat, poſterioribus temporibus coactos fuiſſe Græcos, cum reciperent aut Prætores aut Conſules, ignorarentque comites ipſorum, quique cari illis forent, in manu hoc ponere eorum, ut vocarent, quos ipſis viſum eſſet, ne parùm acceptis vocatis, parùm eos delectarent. Id tangit etiam *Soc. Rhod. in 3. lib. de Bello civili*: cùm enim exponeret regiam cœnam, quam dedit Cleopatra M. Ant. in Cicilia, indicat hoc etiam illam juris ipſius eſſe voluiſſe: ſignificavitque, vocato illo, ut ſecum duceret, quot vellet, ne multitudinem convivarum videretur reformidare: cujus verba *Athen.4.* δειπνοσοφιστῶν recitat. *Cic. in Verrem.* 3. idem confirmat. Græci ὑποδοχὰς ξένων, & ὑποδεκτικὰ δεῖπνα vocabant. *Victor. lib.5. Var. lect. c.10.* F

Lex olim fuit Athenienſium, ut quoſvis hoſpites Græcos admitterent. Ac Theſſalos imprimis ſuſceperunt ob Pyrithoi & Theſei hoſpitium. His etiam agrum aſſignarunt, quem vocarunt Pirithoi. Hinc Perithœde, municipium tribus Æneiæ, à Pirithoo Ixionis. F. *Svidas ex Ephoro.*

Arcadibus Polybius contribuit morum facilitatem, ac naturæ benignitatem, ſummamque erga omnes hoſpitalitatem, & in Deos pietatem ac obſervantiam. *Cælius lib.16. cap.3. Antiq. Lect.*

Cretenſes peregrinos perhumaniter tractabant. Eorum quæ in conviviis apponuntur partem, peregrinis & hoſpitibus primùm dant. Poſt hoſpites principi quatuor portiones præbent: unam quam etiam reliquis, alteram principalem, tertiam familiæ, quartam utenſilium. Atque etiam ad gerendos magiſtratus ſæpenumerò peregrini vocantur. *Heraclides de Politicis.*

Mosyni proveniens frumentum æqualiter in cives ſingulos diſtribuunt, partem aliquam communiter pro hoſpitibus advenientibus ſeponentes. *Stob. ſerm.42. ex Nicolao de Gentium moribus.* G

Maſſilienſes libenter excipiebant hoſpites: nulli tamen intrare oppidum cum telo permittebant, ſed præſtò erat, qui id cuſtodiæ gratia exceptum exituro redderet: ut hoſpitia ſua quemadmodùm advenientibus humana ſunt, ita ipſis quoque tuta eſſent. *Val. Max. lib.2. c.1.*

Calabri hoſpites comi hoſpitio benignè invitabant olim, pyra illis affatim apponendo, cùm majora non haberent. Itaque in proverbium abiere, Calabri hoſpitis dona. Elegantem dialogiſmum *Horat. in Epiſt. ad Mecœnatem* introducit, inter Peregrinum & Calabrum hoſpitem.

Non quo more pyris veſci Calaber jubet hoſtes
Tu me feciſti locupletem. C. Veſcere ſodes.
P. Iam ſatis eſt. C. At tu quantumvis tolle. P. Benignè.
C. Non invita feres pueris munuſcula parvis.
P. Vt libet. C. Hæc porcis hodie comenda relinques.

Ruſticam quidem hoſpitalitatem Lyricus irridet, ut Mecœnatis erga ſe beneficentiam exaggeret. Sed tamen animus ipſe laude dignus eſt.

Anni Plocami, qui maris Rubri vectigal ſub Claud. Cæ- H ſare à fiſco redemerat, libertus, circa Arabiam navigans, Aquilonibus raptus, præter Carmaniam xv. die Hippuros portum Taprobanes invectus, hoſpitali Regis clementia ſex menſium tempore imbutus alloquio, percontanti poſtea enarravit Romanos & Cæſarem. Mirum in modum in auditis juſtitiam ille ſuſpexit, quòd pares pondere denarii eſſent in captiva pecunia, cùm diverſæ imagines indicarent à pluribus factos. Et hoc maximè ſolicitatus ad amicitiam, legatos quatuor Romam miſit, principe eorum Rachia. *Plut. lib.6. c.22.*

Celtiberi advenientes externos benignè hoſpitio recipiunt: adeò ut æmulatione quadam invicem pro illorum honore certent. Quos advenæ ſequuntur, hos laudant, amicoſque Deorum putant. *Diod. lib.5. c.9.*

Germani olim convictibus & hoſpitali menſæ ſupra modum ſtudebant. Nefas habebatur, quenquam domo aut epulis arcuiſſe. *Corn. Tacitus & Crantzius lib.1. cap.34. Metropol. Sab. lib.2. Enn.6.*

Getarum humanitatem & ſanctitatem *Str. lib.7.* omnem dat:

A dat: & Pontum, antequam Græcorum navigationibus aperiretur, Axenum, poſtea verò deprehenſa illorum humanitate, Euxenum appellatum. Verùm propter avaritiam & libidinem hoſtium illos quoque humanitatem exuiſſe. *Strabo lib.7.*

Gothi & Sveci advenas non ſolùm benignè admittunt, ſed cuncta ad liberalem convictum neceſſaria gratis, & ſine ulla numiſmatis compenſatione ſubminiſtrant: deinde equis, vel jumentis ad vicinos deducunt, eiſque commendant. Fitque non rarò lis inter populares, qui peregrinum excipiat. Summa enim laude ille à cæteris efferri conſuevit, qui plures advenas liberali hoſpitio collegerit: quemadmodùm ille publico odio dignus, qui cibum, potum, hoſpitiumque negaverit itineranti. Si quidem tanta ubique eſt cibi & potus abundantia, ut ſordidæ avaritiæ mancipium reputetur, qui pro numerata pecunia cibaverit eſurientem: niſi forſan in civitatibus oppidis, ubi omnia, ſicut in aliis terris, numo menſurantur: quanquam illic ſine comparatione minus expenditur. Cæterùm in villis, quæ paſſim à fortunatis agricolis habitantur, omnia gratis diſtribuuntur, majorque ad hoſpites, quàm ad proprios filios liberalitas habetur. His namque ad menſam B viliora apponuntur, quando advenis pretioſiora reſervantur. *Joan. Magnus lib.4. cap.2. ex Saxone & Crantzio: & Olaus lib.16. c.13. Sept. reg.*

Svecorum mores, ut & nomen, Sviceri, Svecorum coloni, qui Helvetiæ montes & pagos hodie incolunt, ad unguem referunt. Vix enim gentem magis hoſpitalem in tota Germania reperias, modò ea quæ hoſpitem decet, modeſtia utare. *Joan. Magnus lib.23.*

De Sclavorum hoſpitalitate in hunc modum *Helmod. c.83.* ſcribit: Nulla gens Sclavis hoſpitalior. In colligendis hoſpitibus omnes quaſi ex ſententia alacres ſunt, ut nec hoſpitium quenquam poſtulare neceſſe ſit. Quicquid agricultura, piſcationibus ſeu venatione conquirunt, totum in largitatis opus conferunt, eò fortiorem quemque, quò profuſiorem jactitantes. Cujus oſtentationis affectatio multos eorum ad furta vel latrocinia propellit, quæ utique vitiorum apud eos quidem venialia ſunt: excuſantur enim hoſpitalitatis palliatione. Sclavorum enim legibus accedens, quod nocte furatus fueris, craſtina hoſpitibus diſperties. Si quis verò, quod rariſſimum eſt, peregrinum hoſpitio removiſſe deprehenſus fuerit, hujus C domum vel facultates incendio conſumere licitum eſt: atque in id omnium vota pariter conſpirant, illum inglorium, illum vilem & ab omnibus exſibilandum dicentes, qui hoſpiti partem negare non timuiſſet.

Rugiani Sclavi hoſpitalitate inſignes, & erga parentes maximè benefici habentur, in infirmorum cura fideles. Mendicus apud eos nullus. *Helmod. lib.2. c.12.*

Cydon Corinthius quiſpiam erat, adeò inſignis hoſpitalitate, ut etiam proverbio jocatum fecerit: ἀεί τις ἐν Κύδωνος. *Svidas, & Zenodot. & Ariſtophan. interpres Eraſ. in Adagiis.*

Plato F. Ariſtonis Olympiæ apud ignotos diverſatus, eorum animos ita ſibi conciliavit, ut cum eis convivando ac familiariter colloquendo, multas horas conſumeret. Cùm verò Athenas ventum eſſet, perhumaniter eos viciſſim excepit Plato. Ad quem cùm hoſpites dixiſſent: Age vir optime, monſtra nobis Platonem Socratis diſcipulum, & duc nos in Academiam, ut aliquam voluptatem ab eo percipiamus. Ille clam ſubridens: Ego, inquit, ſum Plato quem videre cupitis. Quod cùm audiſſent, obſtupuerunt, quòd ignoraſſent ſe tanti viri D uti familiaritate, qui ſine jactantia omni ſecum eſſet converſatus. *Ælianus lib.4. de Var. hiſt.*

Sylvan. Abbas in deſerto Scythi, jejunii die unà cum Zacharia diſcipulo iter faciens, ad quoddam monaſterium divertit, & humaniter acceptus manducavit. Cùm diſceſſiſſent, diſcipulum in via bibentem reprehendit, quòd eo potu jejunium ante tempus ſolviſſet. Et cùm ille ambos ſolviſſe diceret, quòd in monaſterio comediſſent: Minimè, inquit: nam illud non jejunii ſolutio, ſed charitatis communicatio fuit. *Marul. lib.4. c.1.*

Sic & Bernardus Monachorum pater, cùm aliquando venientibus hoſpitibus extra ordinem cœnaſſet, idque diſcipuli crimini darent: Non ego, inquit, ſed charitas bibit editque. *Æn. Sylv. lib.2. Com. in Panorm.*

Pyrrhus Epirotarum Rex, legatis Romanorum ad redimendos captivos caſtra ſua petentibus, quò tutiùs venirent, Lyconem Moloſſum obviam miſit: quò honoratiùs exciperentur, ipſe cum ornatu equitum extra portam occurrit: ſecundatum rerum proventu adeò non corruptus, ut officii proſpectum in iis deponeret, qui tunc maximè armis cum eo diſſi-

debant. *Valerius Maxim. libro 5. cap.1.* E

Victo ad Numantiam Mancino, quicquid relictum in caſtris fuerat, eo potiti Numantini omni ſunt, & diripuerunt: his tabulæ erant Tiberii Gracchi quæſtoris, in quibus quæſturæ acta & rationes continebantur. Quas recipere magni faciens, cùm exercitus jam in itinere eſſet, tribus aut quatuor amicis comitantibus eum, regreſſus eſt Numantiam. Excitos Numantinorum magiſtratus oravit, ut tabulas ſibi redderent, ne iniquis calumniandi præberet anſam, quòd referre rationes non poſſet. Læti oblata præſtandi beneficii occaſione Numantini (ob patris ejus memoriam, qui cum Numantinis olim fuerat) invitaverunt eum, ut urbem ingrederetur. Ut deliberabundus conſtitit, propiùs accedentes, manus ejus corripuerunt, majorem in modum precantes, ne ultra id in hoſtibus numeraret ipſos, ſed uteretur pro amicis, & fidem haberet. Itaque viſum Tiberio eſt morem eis gerere, tum tabularum deſiderio, tum timens etiam exaſperare diffidentia Numantinos. Ingreſſo urbem primò prandium propoſuerunt atque obſecraverunt enixè, ut aliquid è communi menſa ſecum cibi caperet. Inde tabulas ei reddiderunt, juſſeruntque ut de reliqua præda ſumeret, quicquid ei cordi eſſet. Ille ve- F rò præter thus, quo ad ſacra publica utebatur, nihil cepit: atque ita poſtquam eos comiter ſalutavit, digreſſus eſt. *Plut. in Tiberio.*

Julianus, cognomento Hoſpitator, cum ſummo mane domum reverſus in ſuo uxoriſque cubile dormientes parentes offendiſſet, putavit, uxorem eſſe cum adultero, & educto gladio ambos transfixit. Uxor autem antequam ille adveniſſet, ad Eccleſiam perrexerat. Re tandem cognita, ubertim flevit: utque commiſſi veniam promereri poſſet, relicta domo, propè fluminis ripam, ubi multi vado tranſeuntes peribant, Xenodochium poſuit, viatores tecto accipere, & navicula tranſvectare gratuitò ſolitus. Poſtremò divinitùs dictum ſibi audivit, quòd culpam eluiſſet hoſpitalitatis merito. *Marulus lib.4. cap.10. & lib.2. cap.12. & Fulg. lib.6. cap.9.*

Milites ſacri Hoſpitalarii, Templarii, Teutonici, hoſpitalitate erga peregrinos Chriſtianos inſignes fuere. *Polydor. lib. 3. c.3. Æmil. lib.8. Sab. 1. & En.9.*

Otho III. Imp. cùm voti cauſa Venetias occultè profectus eſſet, à Petro Urſeolo Duce clàm ſuſceptus eſt: & ne hoſpita- G li tantùm neceſſitudine eſſent inter ſe juncti, ſed alia adhuc ſanctior accederet, ex ſacro fonte Ducis filiam per eos dies natam Otho ſuſtulit. *Sab. lib.4. Dec.1.*

Mansor, Marocci Atlantici Rex & pontifex, in venatione ventorum & tempeſtatum turbine in avia à comitibus diſtractus, nocte jam ingruente, tugurium Piſcatoris anguillas captantis in proximis paludibus ſubiit. A quo, diſſimulato habitu, benignè exceptus, cùm inter colloquia piſcator Manſoris regis commendaſſet pietatem, felicitatem & tranquillitatem imperii, atque etiam hœdum, ſuarum divitiarum ſummam, hoſpiti mactaſſet, factoque mane eum per cœnoſæ paludis voragines ad ſuos incolumem deduxiſſet: rex hominis hoſpitalitate delectatus, vicinas arces & palatia ei dono data mœnibus cinxit. *Joan. Leo lib.3. c.72. de Africa.*

Nemo in gente Cambrienſi mendicus. Omnium enim hoſpitia omnibus ſunt communia. Largitatem quippè, & præcipuè dapſilitatem cunctis virtutibus anteponunt: adeo nempe hoſpitalis hic gratiæ communione lætatur, quod itinerantibus ea nec offeratur, nec petatur. Tantum etenim domum intrantes protinus arma cuſtodiæ tradunt: deinde ſtatim H aquam offerentibus, ſi pedes ablui permiſerint, hoſpitio ſuſcepti ſunt, aquæ nimirum pedibus oblato, hoſpitalis apud hanc gentem eſt invitatio. Obſequium autem oblatum ſi fortè recuſant, matutinas recreationes, & non hoſpita volunt. *Giral. c.10. Cambr.*

Landinus ſcribit, Bretinoriam urbem eſſe Romandiolæ ſplendidam, in monte ſupra Forum Livii ſitam, Guidonis à Prada (id villæ nomen eſt intra Faventiam & Ravennam) ac ejus gentilium, aliarumque familiarum inſigni liberalitatis æmulatione inclytam; inter quos perſæpè contentiones oriebantur, quum advenis in urbem accedentibus, eos hoſpitio habere ſuo quiſque præ cæteris anniteretur. Qua de cauſa columnam in foro ſtatuere, annulis pro numero familiarum appenſis, ſuaque cujuſque nota inſignitis. Ad quemcumque annulum hoſpes diligaſſet equum, ejus domum deducendi ac honorificè tractandi poteſtatem ſibi factam eſſe, magni muneris loco ducebat. *Leand. in deſcript. Ital.*

Pace cum Genuenſibus inita, poſtquàm Clodia urbs recepta eſt à Contareno duce, belloque atrociſſimo finis eſt impoſitus,

miſſi ſunt Genuenſes oratores Venetias, qui & publicè Ducem Senatumque adirent, & Carolum Zenum privatim inviſerent. Quos ille tanta benignitate & facilitate excipere ſolitus erat, ut non domi ſolùm eos perquàm familiariter haberet, verùm etiam urbem cum iis ſæpè luſtraret. Quin etiam dedita opera illos ſecum ad magiſtratus deduxerit, ad quos deprecaturus ſimulatè venerat, ut ſibi veniam darent, multamque remitterent, quando eorum lictor gladium ſub veſte Caroli ipſius latentem ſibi ademiſſet. Quum id difficiliùs impetrare videretur, intervenientibus oratoribus, qui ſuppliciter peterent & gladium reſtitui, & multam remitti civi de patria tam bene meritò, vix magiſtratus adduci potuit, ut oratores id impetrarent. Quæ tamen omnia fictè ſimulatèque agebantur, ut Venetiis intelligerent omnes legibus obtemperare debere. *Egnat. lib. 5. c. 1.*

* Inter alias virtutes quæ Matthiam Archiepiſcopum Mechlinienſem nuper vita functum Deo & hominibus reddiderunt commendabilem, una fuit hoſpitalitas, quam ſine perſonarum diſcretione exercuit. Ita ut illud Job meritò potuerit uſurpare, Foris non manſit peregrinus, & oſtium meum viatori patuit: & quod olim in Cydone Corinthio, etiam locum in iſto invenerit, Semper aliquis in Matthiæ Archiepiſcopi domo. Legerat nempè, à Magno Gregorio ſcriptum eſſe, Hoſpitalitatem neſciens non fiat Epiſcopus. *Ex L. Beyerl. orat. funebri, apud Muretum impreſſa Antverpiæ anno* 1620.

ERGA HOSTES

Religionis,

Basilius Macedo Imper. Conſtantinopolitanus multos Judæos largitionibus & promiſſionibus ad fidem Chriſti adduxit. *Zonar. tom. 3.*

Hariadenus Barbaroſſa, ingenti prælio victus à Carolo V. Imp. Tunetum reverſus, ſeipſo factus atrocior, inuſitatæ crudelitatis conſilium cepit, occidendi ſcilicet ſervos Chriſtiani nominis, ita circumpoſito & incenſo tormentario pulvere, ut ad unum omnes in ergaſtulis concremaret: certus id exequi, niſi Judæus Sinas execrabile facinus diſſuaſiſſet, teſtatus, hujuſmodi conſilium viro forti, tot victoriis inclyto, regiique diadematis honorem præferenti, indignum exiſtimari. Erubuit ad hæc tyrannus, conceſſaque miſeris vita, arce eſt egreſſus, & in longè maximum urbis templum concionaturus ſe contulit. Intereà opera quorundam apoſtatarum patefacto carceris aditu, circiter ſex mille nudorum Chriſtianorum, variis rebus, ſaxiſque præſertim dextras armantium, in Turcas erupere, tumultuarièque interfectis aliquot Turcis, totam occuparunt arcem, & Barbaroſſa Hipponam fugiente, Cæſarem in urbem recepere. *Iovius.*

Quoſvis alios, pace bellove.

☞ *Clementia iram moderatur, & erga hoſtes benignitatem ſuam oſtendit, à quibus juſtè vindictam exigere poſſet. Humanitas verò, iræ & offenſæ rationem non habet, ut illam moderetur: ſed id tantum agit, ut benignè, amicè, placidè cum iis tanquam hominibus converſetur. Exempla igitur petantur è Titul. Clementia erga hoſtes. Hoſtes benevolentia ſibi conciliare. Tit. Hoſtes.*

Judæi in urbium obſidionibus, frugiferam arborem nullam violabant. *Fulg. lib. 2. c. 1.*

Licèt Benjamitæ Iſraelitas graviſſimè offendiſſent: propter illorum tamen excidium omnes elevata voce ululatu magno fleverunt. *Iud. 21.*

Heliseus Propheta inimicos ad capiendum ſe miſſos, non tantùm amavit, ſed menſam eis apponi præcepit, refectoſque abire illæſos permiſit. 4. *Reg. 6.*

Cùm cepiſſent Iſraelitæ ducenta millia mulierum & puerorum è Judæa, veſtitos atque refectos ad propria remiſerunt. 2. *Paral. 28.*

Evilmerodach Chaldæorum Rex Joachim Regem captivum menſæ ſuæ adhibuit Babylone, eumque honorificè tractavit. 4. *Reg. 25.*

Indi bella gerentes, hoſtium agricolas inviolatos ſervabant, Stultum enim eſſe dicebant, eos lædere, qui ut frugifera humus eſſet, labore ſuo curabant: ſiquidem & in bello parti utrique fruges neceſſariæ eſſent: & inclinante ad alterutrum victoria, qui ſupereſſent fructus, cum cæteris rebus in ejus poteſtate futuri eſſent, qui victoria potiretur. *Fulgoſus lib. 2. cap. 1.*

Agesilaus Laconum rex, feliciter pugnaverat apud Corinthum. In eo prælio quanquam accepiſſet Spartanorum admodùm paucos deſideratos, cæterùm è Corinthiis & Athenienſibus aliiſque ſociis ingentem numerum interiiſſe: adeò non gaviſus eſt, nec elatus ea victoria, ut graviter ingemiſcens, deploraret Græciæ vicem: Heu, inquiens, Græciam, quæ tot viros inteſtino bello perdidit, quot univerſis barbaris debellandis ſatis eſſe poterat. *Plut. in ejus vita.*

Milites ad Dionyſium Siciliæ tyrannum interficiendum miſſi, ſquallorem ejus intuiti, commiſeratione que moti, incolumem dimiſerunt. *Polyæn. lib. 5.*

Philippus Macedonum Rex, cùm ſubactis Græcis, quidam auctores eſſent, ut civitates præſidiis contineret, ne deficerent: Malo, inquit, diu bonus ac commodus, quàm brevi tempore dominus appellari. *Plut. in Apoph.*

Solymannus Turcar. Imp. accepta Rhodo, tanti, quantumvis in hoſte, fecit virtutem & fortitudinem venerandi ſenis Philippi Liladami militiæ magiſtri, ut ipſum propriis in ædibus convenerit, nec paſſus ſit, tanto debitos principi honores, ab eo ſibi fieri: quin potiùs leviter tangendo ſuum Turban, quod genus honoris Turcici Imp. non niſi Deo & Mahometo exhibent, chariſſimum & honorandum patrem appellarit. *Contin. Chr. Car.*

Darium ad Gaugamela ab Alexandro victum, & Ecbatana fugientem, Beſſus Bactrianorum & Nabarzanes Dracarum ſatrapæ, ut Alexandri gratiam mererentur, aureis compedibus vinctum, poſt etiam jaculis in curru confecerunt. Equi ſine rectore aberrantes, in convallem quandam deceſſerant. Haud procul fons inde erat. Ad quem monſtratum quum Polyſtrates Macedo æſtu & ſiti confectus veniſſet, aquam galea hauſtam potaturus, jumenta inhærentibus telis deficientia conſpicatus, & novitate rei commotus, ad currum acceſſit, ibique Dario reperto, aquam ori adhibuit, ut extremum ſpiritum trahentem reficeret. Hauſit ille aquam, atque addidit: Quiſquis mortalium es, hoc ad extremam calamitatem mihi accidit, ut pro tali in me beneficio gratiam tibi referre nequeam. Referet Alexander, Alexādro verò dii immortales, quòd in matrem meam, uxorem & liberos, pius & clemens extitit. Tuque oro in meæ pietatis argumentum, hoc dextræ pignus illi dato, ac precare etiam, ne meum corpus inſepultum jacere patiatur. Atque hæc dicentem, accepta Polyſtratis manu, vita deſtituit. Ad quem videndum quum Alexander & multi accurriſſent, dicitur rex lacrymis temperare nequiviſſe: demptaque ſibi chlamyde jacentis corpus contexit: poſtremò regio more funeravit, reliquias corporis majorum tumulis inferri juſſit. Plutarchus auctor eſt, corpus ab Alexandro ad matrem, quæ Suſis erat, miſſum. Cecidit cum Dario Perſarum regnum, ducenteſimo fermè anno quàm conditum fuerat. *Sab. lib. 6. Ennead. 4.*

Antigonus Aſiæ Rex, amicis ſuadentibus, ut ſi Athenas caperet, validis illam præſidiis communiret, ne quando deficerent, ſummaque cura ut totius Græciæ baſim cuſtodiret: reſpondit, Se ſemper in hac fuiſſe ſententia, ut crederet, nullum eſſe regni præſidium firmius, quàm civium benevolentiam. *Plutarchus.*

Idem capto Eumene Cardiano, cùm vereretur, ne qua ſeditio exercitus oriretur, vetuit ad eum quendam admitti, & quotidianum victum amoveri juſſit. Nam negabat ſe ei vim allaturum, qui aliquando fuiſſet amicus. Hic tamen non ampliùs quàm triduum fame fatigatus, cùm caſtra moverentur, inſciente Antigono, jugulatus eſt à cuſtodibus. *Prob. in Eumene.*

Dromichætes Getarum Rex, in Thracia capto Lyſimacho Helleſponti Rege, admiratione virtutis ejus, eum humaniſſimè tractavit, ſuamque paupertatem ei oſtendens, monuit: Ne talibus mortalibus bellum inferret, ſed eis potiùs aulicis uteretur. Inde donatum hoſpitaliter Lyſimachum, & amicitia ſibi devinctum, libertati reſtituit.

Furius Camillus, cùm capta Vejentium urbe, ab arce conſpicaretur à Romano exercitu eam diripi; quanquam ſciret, Vejentes pop. Rom. graves fuiſſe hoſtes, tamen ex his humanos repenſans caſus, lacrymas continere non potuit. *Fulg. lib. 5. cap. 1.*

M. Marcellus captis à ſe Syracuſis, in arce earum conſtitit, ut urbis modò opulentiſſimæ, tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret. Cæterùm caſum ejus lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit: quem ſi quis ignarus vir aſpexiſſet, alterius victoriam eſſe crediſſet. Itaque Syracuſana civitas, maxima clade ſua aliquid admixtum gratulationis habuit, quia ſi ſibi incolumi ſtare fas non erat, leniter tamen ſub tam manſueto victore cecidit. *Valer. lib. 5. c. 1.* Romanos quidem

exteræ nationes habebant inſignes bello viros & formidabiles in conflictibus: ſed cùm nullum ſpecimen dediſſent facilitatis, vel humanitatis, vel civilitatis: M. Marcellus Conſul Syracuſis captis oſtendiſſe primus Græcis videtur, eſſe magis inſignes juſtitia Romanos. Summa enim extitit illius in eos, quibus quid negotii erat cum ipſo, moderatio; ſumma etiam in quamplurimas civitates & privatos benignitas. *Plut. in Marcello.*

P. Scipio Africanus ſuperior, Syphacem regem barbarum, atque (ut Livii verbis utar) Romanis moribus inſuetum, & quod mirabilius fuit, Haſdrubalem quoque Carthaginenſem, non barbarum modò, ſed etiam immitem Romani nominis inimicum, inter cœnandum ſuavi convictu & comi manſuefecit alloquio.

T. Quintius Flaminius, qui Philippum Macedonem domuit, humanitate & benevolentia ſua magis, quàm armis Græcos, qui Romanos velut barbaros priùs horrebant, ad Rom. partes à rege traduxit. Cùm Macedones clamarent, Imperatorem cum infeſto barbarorum exercitu venire armis omnia domantem & ſubigentem: ipſi inde, ut conſpexerunt juvenem vultu benigno, voce & ſermone Græco, ac veri amatorem honoris, mirificè ab eo capti ſunt: digreſſique ab eo, civitates deſiderio impleverunt Quintii, tanquam ducem nactas libertatis. At ubi cum Philippo, qui inclinare videbatur ad pacem, congreſſus, has conditiones dixit pacis & fœderis, ut Græcos liberos dimitteret, ac præſidia deduceret, nec ille reciperet eas: tum verò pro certiſſimo habuerunt vel addicti Philippo, ut bellum inferrent, Macedonibus veniſſe Romanos, non Græcis, ſed pro Græcis. *Plut. in Flaminio.*

L. Paulus, cùm Perſem Regem Macedoniæ parvo temporis momento captivum ex rege ad ſe adduci audiſſet, occurrit ei Romani imperii decoratus ornamentis: conatumque ad genua procumbere dextera manu allevavit, ſermoneque grato ad ſpem exhortatus eſt. Introductum etiam in tabernaculum lateri ſuo proximum in conſilio ſedere fecit, nec honore menſæ indignum judicavit. Proponatur in conſpicuo acies, qua proſtratus eſt Perſes, & harum rerum, quas retulit, contextus: utro magis ſpectaculo delectentur homines, dubitabunt. Nam ſi egregium eſt hoſtem abjicere, non minùs tamen laudabile infelices ſcire miſereri. *Val. Max. lib. 5. c. 1.*

Q. Metellus Celtibericum in Hiſpania gerens bellum, cùm urbem Centobricam obſideret, & jam admota machina, partem muri, quæ ſola convelli poterat, disjecturus videretur, humanitatem propinquæ victoriæ prætulit. Nam cùm Rhetogeni filios, qui ad eum tranſierant, Centobricenſes machinæ ictibus objeciſſent, ne pueri in conſpectu patris creduli genere mortis conſumerentur (quanquam ipſe Rhetogenes negabat eſſe impedimento, quo minùs etiam per exitum ſanguinis ſui, expugnationem perageret) ab obſidione diſceſſit. Quo quidem tam clementi facto etſi non unius civitatis mœnia, omnium tamen Celtiberarum urbium animos cepit, effecitque, ut ad redigendas in ditionem populi Romani, non multis ſibi obſidionibus opus eſſet. *Val. lib. 5. c. 1.*

Fannia, Minturnenſis mulier, infamiæ damnata à C. Mario, ejus tamen Minturnis capti, & ſibi in cuſtodiam traditi, majorem quàm ignominiæ ſuæ curam habuit. *Plutarch. in Mario.*

C. Pompejus Regem Armeniæ Tigranem, qui per ſe magna cum P. Rom. bella geſſerat, & infeſtiſſimum urbi Rom. Mithridatem Ponto pulſum viribus ſuis protexerat, in conſpectu ſuo diutiùs jacere ſupplicem paſſus non eſt: ſed benignis verbis recreatum, diadema quod abjecerat, capiti reponere juſſit: certiſque rebus imperatis, in priſtinum fortunæ habitum reſtituit: æquè pulchrum eſſe judicans, & vincere reges, & facere. *Val. Max. lib. 5. c. 1. Dion. & Plut. in Pompejo.*

Augustus Cæſ. Cleopatram, cæſo M. Antonio, in monumento allocutus & conſolatus eſt, & exhibito theſauri breviario, conceſſit quæ illa voluit. *Plut. in Antonio.*

Idem quoque nulli genti ſine juſtis & neceſſariis cauſis bellum intulit. Tantumque abfuit à cupiditate, quoquo modo imperium, vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam Barbarorum principes in æde Martis Ultoris jurare coegerit, manſuros in fide ac pace quam peterent: à quibuſdam verò novum genus obſidum fœminas exigere tentaverit, quòd negligere marium pignora ſentiebat: & tamen poteſtatem ſemper omnibus fecit, quoties vellent, obſides recipiendi. Neque aut crebriùs, aut perfidioſiùs rebellantes graviore unquam multatus eſt pœna, quàm ut captivos ſub lege venundaret, ne in vicina regione ſervirent, neve intra triceſimum annum liberarentur. Qua virtutis moderationiſque fama, Indos etiam ac Scythas, auditu modò cognitos, pellexit ad amicitiam ſuam populique Romani ultrò per legatos petendam. Parthi quoque & Armeniam vendicanti facilè ceſſerunt, & ſigna militaria, quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerant, repoſcenti reddiderunt, obſideſque inſuper obtulerunt. Denique pluribus quondam de regno concertantibus, non niſi ab ipſo electum comprobaverunt. *Sveton.*

Theodosio juniore, contra Perſas ſuſcepto bello, regionem Azazenam vaſtante, capti erant à Rom. circiter ſeptem Perſarum millia. Quos cum Regi Perſarum reddere nollent Romani, fame cœperunt periclitari. Ibi tum Acacius Amydenus Epiſcopus, convocato Eccleſiaſtico collegio, omnes eò duxit, ut vaſa & donaria Eccleſiæ pretioſiſſima venderent, & eo pretio captivos redimerent. Quos cibo refectos, & viatico inſuper donatos, ad regem remiſit. Qui tanta Acacii pietate motus, à Theodoſio impetravit, ut Acacium coram videre, ejuſque colloquio frui poſſet. *Socr. lib. 6. c. 21.*

Totilas Gothor. Rex, recepta Neapoli, Romanorum, qui inediæ diuturnitate afflicti erant, curam propè paternam ſuſcepit. Veritus enim, ne, ſi ſe repentino cibo ad ſatietatem replerent, continuò interirent; ne quis urbe abire poſſet, inhibuit: ac cibum parciùs, quàm pro appetentia, præbuit: ubi verò vires eos recepiſſe vidit, patefactis portis abire, quo quiſque vellet, permiſit. Canoni pariter urbis præfecto, & militibus animo ſuo obſequendi libertas data: ii naves ingreſſi, Romam iter intenderunt. Verùm, reflante vento cùm tenere curſum nequirent, rurſus in magnam ſolicitudinem inciderunt, verentes, ne iterùm in manus Totilæ devenirent, atque ab eo quaſi pactæ fidei ſacramento ſoluto, aut pœnitentia tacto, aliquid detrimenti acciperent. Quod ubi Totilas animadvertit, ſtatim univerſos ad ſe vocavit, & conſolatus eos, nova fide data, ſecuro eſſe animo juſſit, & ſuo exercitui ſe immiſcere, & quibus egerent, coemere permiſit: ſæviente autem adhuc vento, equos, jumenta, & viaticum elargitus, auctor fuit, ut terra contenderent, ac comites dedit, quo tutò abirent. *Sigon. lib. 29. Imp. occid.*

Justinianus Imper. Regem Vandalorum Vitigem captum à Beliſario, Patricii honore donatum, omni humanitate, toto biennio quo ſupervixit, proſequutus, ejus relictam conjugem Mathaſuentam ſuo germano Patricio ſociavit. *Procopius.*

Gothos pro eximia corporum magnitudine, ac ſpecie miratus, gazas regias in curia ſenatoribus viſendas expoſuit. *Sigon. lib. 18. Imp. occid.*

Trecacensis urbis ſive Trojæ Antiſtes D. Lupus, habitu indutus pontificali, cum multitudine cleri, Attilæ à pugna Catalaunica reliquas Galliæ urbes everſuro advenienti, fit obvius. Et facta ſalutatione, interrogat Attilam, quiſnam eſſet, qui tot regibus devictis cuncta vi ſibi ſubſideret? Cui Atila, Ego, inquit, ſum Rex Hunnorum flagellum Dei: tum Lupus ingemiſcens: Et ego Lupus vaſtator gregis, dignus flagello ejus, cui quis reſiſtat, quò minùs in quos volet ſæviat? Veni igitur, Dei mei flagellum, quò libet proficiſcere: omnia tibi, ut Dei miniſtro, me non repugnante patebunt. Jubet inde portas urbis reſerari, ac Atilam (frænum equi honoris cauſa manu tenens) ſumma veneratione introduxit. Qui ſive humanitate ductus Epiſcopi, ſive Dei voluntate, ſine ullius cæde & detrimento, per urbem mediam cum omnibus ſuis copiis progreſſus, altera urbis parte egreſſus eſt. *Olaus c. 9. in Atila, & Marul. lib. 5. c. 2.*

Pharas, Beliſarii Dux, Gilimerem Vandalorum Regem in extremo Numidiæ monte Puppua diligenter obſedit, atque à Mauris dejectus, locum ſibi cuſtodiendum ſuſcepit, ut, nullo alimento invecto, hoſtes fame debilitati, ultrò ad deditionem accederent: ad quam etiam Gilimerem, fide incolumitatis data, & ſpe præmiorum oſtentata, invitavit. Quod ille ſe facturum abnuit, atque ab eo panem tantùm, ſpongiam & citharam poſtulavit. Cujus poſtulati, ut novi, rationem curioſiùs inquirenti, nuncius hanc reddidit: panem requiri dicens, quòd poſtquam montem illum inſediſſet, panem coctum nullum vidiſſet: ſpongiam, ut lacrymas, quibus conficiebantur, abſtergeret: citharam verò, ut præſentem calamitatem flebilibus modis, haud quaquam ejus artis ignarus, leniret. Quæ ubi cognovit Pharax, hominis miſeratione permotus, omnia miſit. Gilimeri inde, cùm appetente jam vere, expugnationem timeret, atque inteſtinorum dolore intolerabili laboraret, Pharæ ſe conſilium ſequi velle, ut ſe Juſtiniano dederat, indicavit. Cujus rei nuncio Beliſarius, ut qui hominem vivum ad Juſtinianum ducere

A cuperet, eximiè delectatus, confeſtim Cyprianum ad rem conficiendam miſit. *Sigon. lib. 17. Imp. occid.*

Conradus III. Rex Roman. contra Vvelfonem Bavariæ ducem rebellem bellum jamdiu gerebat. Suſcepta interim expeditione Hieroſolymitana, bello nondum finito, inter cæteros principes etiam Vvelfonem Comitem habuit, eumque amicè tanquam commilitonem habuit & ſalutavit, eique in tam laborioſo itinere ſæpiſſimè ſubvenit, ac de omnibus quæ à regio fiſco Conſtantinopolitani Imperatoris ſibi offerebantur, partem illi tradidit. Poſteaquàm verò ab expeditione illa redierunt, Vvelfo prior ad arma rediit. Sed tandem victus, Friderici Sveviæ ducis opera in gratiam regis rediit. *Cuſpin.*

Philippus Vicecomes, Mediolanenſis Dux, cùm Carolum Malateſtam Florentini populi ducem, virum generis claritate & rerum geſtarum gloria inſignem, in acie captum, Mediolanum duci audiviſſet: honoris gratia obvius ei prodiit, neque ſecùs ac parentem omni tempore coluit. *Bracallus lib. 1. belli Hiſpan.*

Alphonsus Aragonum Rex, cùm amœniſſimum Picentiæ agrum Surrentinum vaſtaret, ingemuiſſe frequenter viſus eſt; B crebròque per caduceatorem oppidanos oraſſe, ne id ipſorum pertinacia committerent, quod poſtea ejus lenitate & miſericordia corrigi non poſſet. *Panormit. lib. 1. de rebus geſtis Alphonſi.*

Recepta Clodia, Genuenſes capti plurimi à Venetis, & ad finem belli uſque cuſtoditi. Venetæ matronæ tantum pecuniæ in medium contulere, ut Genuenſibus, qui ſeminudi è cuſtodia educti erant, tunicæ aliaque velamenta corporis, ut cuique hac vel illa re opus fuit, ſint abeuntibus præbita; viaticum ad hæc datum, ne mendicare cogerentur. *Sab. lib. 9. Enn. 9.*

Ann. 1506. cùm plurimi Genuenſes Venetorum urbem ſe velle incolere, Patribus oſtendiſſent, modò tuti publicè fierent, ſi quid in Venetos Ligur quiſpiam deliquiſſet, ſua bona ea re non teneri: Senatuſconſultum factum eſt, quo eis civitatis jus atque ſecuritas eſt data, navigatione mercaturæ cauſa in Orientem excepta. *Bembus lib. 7. hiſt. Ven.*

Bartol. Livianus, Veneti exercitus contra Maximilianum I. Cæſarem Dux, Succarum apud Veronã cùm in hoſtes rueret captum, tanto in honore apud ſe habuit, ut eum (quod eſt inviolabilis amicitiæ ſacramentum) his ſacris adhibuerit, quibus C luſtrico die Livium Septimum nuper ex ſorore Baleoni Malateſtæ ſuſceptum baptiſmate abluit. Ea res ſolemni ritu & majoribus cæremoniis celebrata eſt: ſiquidem in ripa profluentis Medoaci, armatus & diviſus exercitus tanquam adverſæ acies in ſimulacrum juſtæ pugnæ præpilatis haſtis concurrit: diſploſaque puncto temporis tormenta omnia in lætitiæ ſignum, tanto armorum fragore & clamore militum, ut prætervolantes aves exanimatæ ceciderint. *Iov. lib. 12. Hiſt.*

Quum expugnata direptaque à Caroli V. exercitu an. 1527. pridie Kal. Majas Roma, Clemens VII. Pont. arcem, in quam confugerat, ea conditione dediſſet, ut militi ſtipendia perſolveret: magnis rei numariæ difficultatibus coactus eſt obſides dare, quos ipſi milites delegiſſent. Ii fuere Cardinalium propinqui, virique maximè pecunioſi. Horum manibus ferreæ catenæ ſtatim injectæ, vinctique in Pompejana domo cuſtoditi. Hos Pompejus Columna Cardinalis, hujus cladis non poſtrema cauſa, videre aut alloqui humanitate ſua indignum putavit, ne quum præſtantes viros, familiaritate ſuperioribus temporibus ſibi conjunctos, in libertatem vindicare non poſD ſet, ad non dubiam invidiam eorum calamitate lætari videretur. Verùm per familiares ſuos id benignè & liberaliter præſtabat, ut nihil quod ad ſublevanda captivitatis incommoda pertineret, omninò deſiderarent. Quum verò à barbaris aurum immaniter ſupplicii metu injecto exprimere properantibus, in Floræ campum ad furcas catenati latronum more traherentur, biſque ſententiis de eorum ſupplicio in corona militum gravi & infeſto concionis fremitu eſſet diſputatum: adeò Pompejus eo atroci ſacerdotum periculo, & Germanorum feritate commotus eſt, ut non multò poſt, ipſo connivente, per vaporarium foci tubum ſublevati, extractique funibus evaſerint, quum Germanos cuſtodes opipara in cœna, multo falerno conſopitos, egregiè fefelliſſent. *Iov. in Pompejo.*

CALAMITATIS. E

Erga Calamitosos in genere.

Athenienses Phrynichum, qui Mileti expugnationem in tragœdia docuerat, multarunt; & ſumpſere, cùm Thebas reſtitueret Caſſander, coronas. Cædem item cùm Argis factam audiſſent, in qua mille quingentos Argivi cives ſuos baculis interemerant, expiari juſſere concionem. *Plut. in Preceptis politic.*

Quædam ſub Tito Imp. fortuita ac triſtia acciderunt: ut conflagratio Veſevi montis in Campania: & incendium Romæ, per triduum, totidemque noctes: item peſtilentia, quanta non temerè aliàs. In his tot adverſis ac talibus, non modò principis ſolicitudinem, ſed & parentis affectum unicum præſtitit: nunc conſolando per edicta, nunc opitulando, quatenùs ſuppeteret facultas. Curatores reſtituendæ Campaniæ è Conſularium numero ſorte duxit. Bona oppreſſorum in Veſevo, quorum hæredes non extabant, reſtitutioni afflictarum civitatum attribuit. Urbis incendio nihil, niſi ſibi, publicè periiſſe teſtatus, cuncta pretiorum ſuorum ornamenta operibus ac F templis deſtinavit; præpoſuitque complures ex equeſtri ordine, quo quæque maturiùs peragerentur. Medendæ valetudini, leniendiſque morbis nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquiſito omnium ſacrificiorum remediorumque genere. *Sveton.*

Basilius Macedo Imper. cùm magna Dominica in ædem Apoſtolorum veniſſet, civeſque quoſdam venerando aſpectu videret triſti vultu, & mœrorem præ ſe ferentes, ad ſe vocatos interrogavit: Cur non ipſi quoque ſplendido amictu ad eam ſolemnitatem acceſſiſſent, ſed veluti in magna aliqua civitatis calamitate mœrerent? Cumque unus eorum reſpondiſſet: Tibi quidem, domine, & iis qui tibi adſtant, ſplendidè veſtiri & lætari convenit: non item eos hæc decent, qui in diſcrimine mortis ſunt conſtituti: videris enim ignorare, ob ventorum aſperitatem duos frumenti modios aureo numo vendi. Hac voce audita, gemitum ex imo duxit pectore, & miſeratio lacrimas ei expreſſit: conſolatuſque eos, ut in palatium rediit, convocatos, quibus civilia & imperatoria negotia commendaverat, multis eſt inſectatus conviciis, deteſtatuſque, quòd de caritate annonæ ſe non feciſſent certiorem: ſtatimque venum pro- G poſito ſuo & publico frumento, XII. modios aureo vendi juſſit. Quod ejus factum probans Deus, fertilitatem eſt largitus. *Cedrenus.*

ERGA PAUPERES.

☞ *Ex Tit. Eleemoſynæ, huc transferenda exempla, quatenus humanitas converſationis ſimul ſpectatur.*

Et mira & bonitatis plena Hebræorum conſuetudo erat, qui metendis frumentis relictas ſpicas non colligebant, neque vindemia uvas, quæ fortè vindemiatorum diligentiam effugiſſent: Hæc enim ad pauperum nutrimenta relinquebantur. Neque ex agro peregrinum aliquem, qui in eo eſſet, pellebant: ferenteſque ad torcularia uvas, nemini, qui in cibum dari ſibi peteret, negare fas putabant. *Fulgoſ. lib. 2. c. 1.*

Booz Bethlehemita manſuetudinem, erga Ruth Moabitidem peregrinam, ſummam exercuit. Eam namque in agro ſuo ſpicilegium facientem placidis verbis compellavit, & ne aliò iret, hortatus eſt, cùm ſuis quinetiam meſſoribus cibum caperet. Tandem quoque eam uxorem duxit. *Ruth. c. 2. & ſeq.*

Job de ſeipſo inquit: Auris audiens beatificavit me, eo quòd liber aſſem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat H adjutor: benedictio pupilli ſuper me venit, & cor viduæ conſolatus ſum. *Job. 29.*

Thebani vetant capitis ſupplicio, ne civis paupertate preſſus infantem exponat aut abjiciat, ſed eum ſtatim à materno partu ad magiſtratum cum ipſis faſciis adferat. Quem acceptum dat volenti, ut illum alat, & adultum ſervi vel ſervæ loco habeat. *Ælian. lib. 2. de Var. hiſtor.*

Adrianus Cæſar domi ſuprà quàm dici poſſit civilium morum ſtudioſus, ut ſe propemodum in ordinem redigeret nimia comitate. Neminem vidit pauperem, modò innocentem, quem non ditaverit. Odit contra fraude & dolo malo divites. *Sab. lib. 4. Enn. 7.* In balneo veteranum quempiam, ſervuli penuria ſeſe marmoribus affricantem, conſpicatus, eum & ſervulis aliquot & ſumptibus donavit. Quod reliqui veterani feliciter ceſſiſſe videntes, cœperunt & ipſi complures ſub oculis Imperatoris ſeſe marmoribus affricare, ut hoc modo principis elicerent benignitatem. At ille evocatis ſenibus, juſſit, ut alius alium viciſſim defricaretur, atque ita pueris nihil opus fore. Is jocus poſtea in vulgi fabulam ceſſit. *Spartian.*

Leo I.

A Leo I. Imper. vir erat, in quo multæ clariſſimæ effulgebant virtutes, ſed omnium maximè erga homines calamitoſos miſeratio. Dicereque ſolitus eſt, Quemadmodum Sol qui quicquam ſuo ſplendore illuſtrat, nonnihil caloris impartitur: ſic Principem debere eos ſua dignari miſericordia, quos contueretur. *Cuſpin.*

Apud Rugianos Sclavos mendicus nullus eſt. Tanta ſunt erga ſuos benignitate. *Helmodus l. 2. c. 12.*

ERGA CAPTIVOS.

☞ *Vide ſuprà, Erga hoſtes, quatenus in poteſtatem victoris venerunt.*

Abdemelech Æthiops Eunuchus, Sedechiæ Regis ſervus, Hieremiam ab iis qui vera audire non poterant, in cœnoſum lacum dejectum, miſeratus, cùm regem pro illo exoraſſet, ſolus eduxit. Inde qui Prophetam malè tractarant, in hoſtium poteſtatem venerunt, è quibus alii interfecti, alii Babylonem captivi ducti ſunt. Ad ipſum autem Abdemelech per Prophe- B tam dicitur: Liberabo te in die illa, ait Dominus, & non traderis in manus virorum, quos tu formidas, ſed eruens liberabo te, & gladio non cades: ſed erit tibi anima tua in ſalutem, quia in me habuiſti fiduciam, ait Dominus. O grande charitatis præmium! Capitur, quatitur, vaſtatur, funditùs evertitur Hieruſalem, & inter tot gladios furentium inimicorum is qui proximum ab injuria liberaverat, divina virtute protectus, liber experſque periculi fuit. *Marul. l. 3. c. 2. ex Hier. 8.*

Julius centurio cohortis Auguſtæ, Paulum Apoſtolum Romam è Cæſarea vinctum duxit, & humaniſſimè eum tractavit, amicos eum adire permittens, qui ejus curam gererent. Item cùm naufragio facto milites vinctos omnes occidere vellent, ne quis enatando effugeret: Centurio Paulum ſervare volens, eos illo conſilio prohibuit. *Act. 27.*

Aristogiton ſeditioſus orator, in vincula conjectus, damnatuſque ab Athenienſibus, oratum ad Phocionem miſit, ne gravaretur paululùm ad ſe viſendum accedere. Faciebat is quod petebatur. At ejus facilitatem damnantibus amicis, quòd flagitiis adobrutum infamibus adire non abnueret, ac quodammodo alloquio ſublevare, conantibuſque ab itinere C jam inſtituto deterrere, ϗ ποῦ τὶς ἂν εἶπεν ἥδιον Ἀριςογείτονι λαλήσειεν: Ubinam, inquit, jucundiùs Ariſtogitonem colloquio dignetur? *Cælius l. 25. c. 10. A. L.*

Navis prædatoria erat apud Itehaceſiam in ſtatione, in qua erat ſenex cum amphoris picem continentibus. In eam fortè intentus erat portitor Ithaceſius, Pyrrhias nomine: ſenemque liberavit, cùm ejus nihil intereſſet, ſed precibus ejus & miſericordia adductus. Accepit autem partem inſtante ſene amphorarum. Poſtquam prædones abſceſſerunt, ſecurus jam ſenex adduxit Pyrrhiam ad amphoras, in quibus magnam auri & argenti in picem conjecti vim eſſe demonſtravit. Factus igitur repentè Pyrrhias pecunioſus, cùm altam curam habuit ſenis, tum bovem ei immolavit. Ea res in proverbium ceſſit, ut dicant, Bovem benefactori niſi Pyrrhias immolavit nemo. *Plut. in Quæſt. Græcis.*

Cùm Periander, Cypſeli filius, Sardis ad Halyattem caſtrandos mitteret trecentos primorum Corcyræorum (qui F. ejus Lycophronem interfecerant) liberos: & Corinthii, qui illos ducebant, Samum appuliſſent: audita Samii cauſa, cur Sardis pueri ducerentur: primùm edocuere pueros, ut pulvinar Dia- D næ contingerent. Deinde cùm eos, ne à pulvinari abſtraherentur, obſervarent Corinthii, præbebant illis alimenta Samii, diem ſolemnem agentes, quem nunc quoque per id tempus celebrant. Cùm enim nox advenit, quandiu pueri precabantur, tam diu exercebant choros virginum atque adoleſcentium. Tunc autem choros exercentes, eſculenta fecerant ex ſeſamo ac melle, quæ diſtribuenda ferrent: ut ea Corcyræorum filii rapientes, alimenta haberent. Idque eò uſque factum eſt, dum Corinthi pueris (quos aſſervabant) omiſſis abierunt. Ita Samii pueros Corcyram reduxerunt. *Herod. l. 3.*

Pridie ejus diei, quo Ariſtomenes Meſſenius induciis factis cum Lacedæmoniis, à ſeptem Cretenſibus ex inſidiis captus fuit, & in tuguriolum quoddam agri Meſſenici perductus: Virgo quædam patre orba, ibi habitans cum matre, per ſomnium viſa fuerat ſibi videre, pertrahi illuc à lupis leonem vinctum ereptis unguibus: illum ſe à vinculis exemiſſe, & cum eo tanquam cum viro congreſſam, ungues illi dediſſe, nec multò poſt, à leone lupos laniatos. Deducto itaque eò Ariſtomene, agnovit puella expreſſam vero eventu ſomnii imaginem: auditoque à matre viri nomine, confirmavit ſe: & cùm in eum intueretur, facilè, quod ſignificaret, intellexit. Vinum itaque lar- E gius Cretenſibus fudit, ita ut omnes vinolenti ſe abjicerent. Ariſtomenes graviore ſomno conſopito pugiunculum eripiens, vincula ſibi abſcidit, omneſque jugulavit. Virginem illam pro navata ſaluti ſuæ opera filio ſuo Georgio in uxorem dedit. *Pauſan. in Meſſen.*

C. Marius Hinturnis captus, in cuſtodiam datus eſt Fanniæ, quæ mulier minùs æqua Mario ex veteri cauſa dicebatur. Fannia in matrimonio fuerat cum Tinnio (Valer. Max. habet Ticinio) quæ cùm divortio facto dotem, quæ lauta erat, repeteret: ille adulterium ei objecit, ac cauſa ad Marium Sextum conſulem delata eſt. Ea in judicio agitata, cùm Fanniam conſtaret impudicam fuiſſe: & virum, qui talem ſciret eſſe, eam duxiſſe, diuque cum ea in matrimonio vixiſſe: ambos improbavit, virumque juſſit dotem ei reſtituere; mulieri infamiè damnatæ quatuor aſſes multam dixit (Valer. Max. ſeſtertium nummum.) Fannia, nihil minùs quàm ignominiæ memor ſuæ, curam ejus habuit. *Plut. in Mario.*

Captis Vejis, populus Rom. delecta decima ſpoliorum parte, aureum craterem Apollini Delphico dedicavit. Legati à Liparæis prædonibus capti, in Liparam abducuntur. Timaſitheus Liparæorum Dux legatos liberavit. Pro quo beneficio F Romani Timaſitheo publicum Romæ hoſpitium conceſſere. *Diod. lib. 14.*

Thaumastus, Caii Imp. ſervus, Agrippæ captivus, qui propter Solis ardorem, animique moleſtiam magna ſiti torquebatur, cùm vas aquæ prægelidæ ferens, ab eo oraretur, ut ſe bibere ſineret, frigidam humaniter porrexit. *Fulgoſ. l. 5. c. 2. ex Joſep. lib. 18. c. 8. Antiq.*

Anastasia Romana, infideli quidem viro tradita, ſed tantùm Chriſto juncta, cùm patricii generis eſſet, prætulit nobilitatis altitudini charitatis humilitatem. Quippè vilibus veſtibus induta, ne agnoſceretur, martyrum carceres viſebat, vincula exoſculabatur, ad patientiam exhortationibus animabat. His officiis digna evaſit, quæ & ipſa coronam referret martyrii. *Marul. lib. 3. c. 2. & Sabel. lib. 5. c. 2.*

Achomates ſeu Cherſeoglis, poſt religionem Chriſti abjuratam, Stephanus antea dictus, Cherſechii reguli Illyrici F. Bajazetis Turcarum Imper. gener, capta Methone, patricios Venetos, quum reliqua captivorum multitudo crudeliter Bajazetis juſſu in ejus conſpectu trucidaretur, exorato principe ſervavit: Andreamque poſtea Grittum, poſtmodùm Vene- G torum ducem, captum Byzantii, teterrimoque ſupplicio deſtinatum, non modò ſuis precibus eripuit, ſed impetrandæ pacis magno Reip. Venetæ commodo auctorem fovit. Innumerabiles Chriſtianos Barbaris ſervientes, cùm auctoritate, tum ære ſuo piè redemit. *Jovius.*

ERGA REOS, SONTES.

Ψῆφοι, id eſt, Æquales calculi, ſi quando parùm abeſt, ut condemnetur aliquis, tamen abſolvitur. Suidas oſtendit proverbium ſumptum à priſca conſuetudine judiciorum, qua reus æqualibus judicum ſententiis abſolvebatur, at non citra periculum. Cur autem potiùs abſolvendum, quàm damnandum reum veteres exiſtimarint, cùm pares eſſent ſententiæ, multas cauſas reddit Ariſtoteles in Problemate quodam. Multis enim nominibus viſum eſt convenire, ut reliquis paribus, reo magis quàm actori faveatur; vel quòd accuſator accedit paratus ac præmeditatus, reus ad multa non præviſa compellitur reſpondere. Vel quòd conſentaneum ſit, reum, ut qui majore periculo dicat, ob metum quædam prætermiſiſſe potiùs H quàm actorem. Vel quòd in ancipiti negotio potiùs ad eam partem oporteat vergere, ubi ſi fortè erratur, peccetur leviùs. At minus eſt malum abſolvere nocentem, quàm innocentem damnare, præſertim in capitalibus cauſis: ubi ſi contigat errare judicem, non eſt, quo ſarciat in poſterum erratum ſuum, extincto jam homine: contrà, ſi elabatur nocens, poterit alio judicio pœnas dare. Vel quòd accuſatio propior eſt ſuſpicioni malevolentiæ, quàm defenſio: quare cùm in cæteris nihil appareat diſcriminis, de actore potiùs malè judicamus, quàm de reo. *Eraſm. in Adag.*

ERGA DAMNATOS.

Mulierum morti deſtinatarum, ſi prægnantes eſſent, partus expectabatur apud Ægyptios. Quam legem multi Græcorum acceperunt, exiſtimantes, penitus iniquum eſſe, eum qui nihil commiſiſſet, unà cum facinoroſo pœnam pati: aut duos plecti, cùm unus deliquiſſet: cumque eo qui ſponte peccaſſet, criminis vacuum puniri. Inſuper cum ſola peccaſſet mater,

minimè

minimè æquum cenſebant, filium patri matrique communem, luere maternam pœnam. Etenim ſæpè repertum eſt, iniquos judices morte dignos liberaſſe, damnaſſe inſontes. *Diod.lib.1.c.6.*

Athenienſes in cauſa Harpalia cùm domos ſcrutarentur: ſolam eam, in qua erat nova nupta, præterierunt. *Plutarc. in Præceptis politicis.*

Lacon ad eum, qui, dum plecteretur, dicebat, Invitus offendi, ait: Ergo invitus quoque plectere. *Plut. in Apopht.*

PTOLOMÆUS Rex amaſium habebat Galetam, pulcherrima forma, ſed animo pulchriore. Perſæpè Ptolemæus teſtimonium ei perhibebat, inquiens: O lepidum caput, nullius unquam auctor incommodi extitiſti: at multorum utilitatem promoviſti. Accidit aliquando, ut cum rege adoleſcens equitaret. Cùm verò procul quoſdam ad ſupplicium trahi videret converſus ad regem: Quandoquidem proſpera quadam ſontium iſtorum fortuna, inquit, equos conſcendimus, age, ex improviſo appareamus miſeris quaſi Dioſcuri ſalvatores, & in vocati ſalutem afferamus. Rex maximam voluptatem capiens ex ejus pietate, nocentes ſervavit. *Ælianus lib.1. de var. hiſtor.*

Cicero proconſul in Cilicia neminem dicitur virgis cæcidiſſe, nec veſtem ullius laceraſſe, neque ira provectus, aut multæ cauſa dictum jeciſſe in quenquam contumelioſum aut probroſum. *Plut. in Cicer.*

VESPASIANUS Imper. nullius cæde unquam lætatus, juſtis ſuppliciis illachrymavit etiam, & ingemuit. *Sueton.*

TITUS Veſpaſian. clementiæ ac manſuetudinis tantæ fuit, ut pontificatum acciperet ob hoc ſolùm, ut puras à ſanguine ſervaret manus, ne cujuſdam necis aut auctor aut conſcius eſſet. *Cuſp. ex Sueton. & Dione.*

M. ANTONINUS Pius Imper. Præfectos ſuos & locupletavit, & ornamentis conſularibus donavit: ſi quos repetundarum damnavit, eorum liberis bona paterna reſtituit; ea tamen lege, ut illi provincialibus redderent, quod parentes acceperant. *Capitolinus.*

AMALASUNTÆ Oſtrogothorum reginæ tanta fuit in decernendo gravitas & humanitas, ut criminis convicti dum plecterentur, nihil ſibi acerbum pati videretur. *Sabel. lib. 2. Enn.8.*

Ann. 1323. cùm per Edovardi Regis crudelitatem complures quotidie variis afficerentur ſuppliciis in Anglia, eſſetque acerbum ſpectaculum videre paſſim damnatorum corpora in furcis, quas vocant, pendentia, cibo eſſe avibus: ſtatutum eſt, ut corpora hominum, qui deinceps ſuſpendio ſtrangularentur, ſtatim ad ſepulturam darentur: id quod etiam nunc ſervatur. *Polyd.lib.18.*

ERGA EXULES.

PARTHORUM Rex Artabanus, principum regni ſui conjuratione preſſus, minimè ſe in eo poſſe tutò manere arbitrabatur; & cum vires, ut principes ad officium cogeret, ei deeſſent, ad Izatem Adiabenorum Regem, etſi ei notus non erat, conferre ſe decrevit. Itaque dum ad eum venit, incidit in ipſum per regnum obequitantem. Ut eum vidit, ab equo ſtatim deſcendit: expoſitoque caſu ſuo, rogavit, ut ope ſe ad repetendum regnum juvaret. Cùm Izates eum agnoviſſet, ipſe quoque in terram ab equo deſcendit: coactumque Artabanum in equum conſcendere, pedibus eum proſequi volebat, quòd ætas ipſius præteritaque fortuna plus quàm præſens neceſſitas apud ſe valeret. Deductum igitur domum ceu parentem coluit, & tandem quoque in regnum reſtituit. *Fulgoſ. lib.5. cap.1.*

Reginus à triumviris proſcriptus, atque hoſtis judicatus, fugam adornans, aſinum frondoſis faſcibus onuſtum agebat: jamque ad urbis portas, ut egrederetur, pervenerat: ibi à Milite olim ſuo cognitus, non modò non fuit proditus, verùm ab ipſo, ſicuti olim, dux ſalutatus, fugiendi inde viam accepit. Plus enim apud militem ſanctus pudor, quàm mortis metus aut præmiorum ſpes valuit. *Fulg.lib.4.cap.1.*

M. CRASSUS Marii & Cinnæ crudelitatem fugiens, ſumma celeritate cum tribus amicis & decem ſervis in Hiſpaniam venit: agrumque maritimum Vibii Paciani ingreſſus, in quo ampla erat ſpelunca, eò abdidit ſe, atque ad Vibium periclitandum unum ſervum miſit, viatico quoque jam deficiente. Vibius renunciata exultavit ejus incolumitate: accitoque procuratori prædiorum præcepit, ut cœnam quotidie appararet, eamque ad petram deportaret: qua ibi relicta, ſilentio abiret, denunciata morte, ſi qui curioſè rimaret, vel ſcrutaretur. Agenti ibi Craſſo afferebat procurator quotidie neceſſaria, neque hic illos vel vidit vel cognovit: cœnæque apparatus vel ad voluptatem affluens erat, nedum ad neceſſitatem. Suſtentavitque ita Vibius Craſſum menſes octo, ad exitum uſque Cinnæ. *Plut. in Craſſo.*

Rex Ptolemæus è minore fratre regno ſpoliatus, petendi auxilii gratia cum paucis admodùm ſervis ſquallore obſitus Romam venerat, ac ſe in hoſpitium Alexandrini pictoris contulerat. Id poſtquam Senatui relatum eſt, accerſito juvene, quàm potuit accurata excuſatione uſus, quòd nec Quæſtorem illi more majorum obviam miſiſſet, nec publico hoſpitio eum excepiſſet: eaque non ſua negligentia, ſed ipſius ſubito & clandeſtino adventu facta dixit: & illum è curia ſubitò ad publicos penates deduxit: hortatuſque eſt, ut depoſitis ſordibus, adeundi ipſius diem peteret: quin etiam curæ habuit, uti munera ei per Quæſtorem quotidie darentur. His gradibus officiorum jacentem ad regium faſtigium evexit: effecitque, ut plus ſpei in auxilio Pop. Rom. quàm metus in ſua fortuna reponeret. *Val. Max. lib.5.cap.1.*

Sarmatæ Lunigantes ann. 333. Gothorum vicinorum ſuorum armis oppreſſi, cùm juſtas ad reſiſtendum liberorum hominum copias non haberent, tanquam in extremo periculo ſervos ſuos armarunt, atque eos contra Gothos duxerunt. Mox autem, cùm ſervis deficientibus appetiti ac ſedibus ejecti patriis eſſent, auxilii ac conſilii inopes, ad Conſtantinum ſubſidium imploratum, & ſedes tutas petitum ſe contulerunt. Eos verò Conſtantinus Magn. benignè auditos, in provincias ſuas recepit, atque alios ſacramento militari adegit, alios ad agrorum cultionem adhibuit. Scribit etiam Jornandes, Vandalos quoſdam à Gothis acie ſuperatos, ſedes à Conſtantino petiiſſe, eaſque in Pannonia recepiſſe. Itaque Zoſimus adjicit, Conſtantinum primum omnium barbaros Romanæ militiæ adſcripſiſſe, eamque rem magnorum, quæ ſubſequuta ſunt, malorum initium attuliſſe. Conſtantini enim ſive conſilium, ſive liberalitatem, ſive fortaſſe etiam neceſſitatem imitati, ſed inde Conſtantius, Valens, & Theodoſius, integras nationes tranſire fluvium cupientes in ſuas provincias admiſerunt, ac fortiſſimum & prudentiſſimum ex eis quemque honoribus militaribus evexerunt, ac Roman. militibus poſthabitis, Remp. ſolis propè barbaris commiſerunt, Gothis, inquam, Alanis, Gepidis, Vvandalis, Hunnis, Suevis, & Francis: qui occaſionem nacti, aut legitimis Imperatoribus manus intulerunt, aut populares ſuos ſpe prædæ ac ſedium concitatos, ad agrorum populationes, provinciarum vaſtationes, ac demùm ad caput ipſum Imperii Romam occupandam ac diripiendam impulerunt. *Sigon. lib.4. Imp. Occid.*

ERGA NAUFRAGOS.

☞ *Superiore Loco de Magiſtris humanitatis erga Naufragos.*

Phaſiani populi naufragium paſſis viaticum præbent, & rurſus abnavigantibus tres minas dant. *Heraclid. in Polit.*

Ariſtippus naufragio facto, in littus apud Rhodum nudus ejectus, ob doctrinam invenit non modò qui neceſſaria ad victum, verùm etiam qui veſtes ipſi atque comitibus præberent. Cùm autem redeuntes domum quidam ex ipſis comitibus petiiſſent, ſi quid ſuis Ariſtippus mandare vellet: reſpondit: Hoc tantùm ſe mandare, nomine ſuo cognatos monerent, ut filiis opes eas pararent, quas adverſa maris tempeſtas perdere non poſſet. *Fulg.lib.7.c.2.*

HUMANITAS ERGA BRUTA.

☞ *Pudeat homines, virtutem humanitatis non amplecti quam lege naturæ hominibus peculiarem eſſe, ipſum docet etymon, ipſa quoque bruta fatentur. Exempla igitur reſpectu Hominum erga bruta manſuetorum hujus ſunt loci: at reſpectu Brutorum, hominis opem implorantium, ad Theatrum brutorum pertinent. Conſule Tit. Amoris & Miſericordiæ & Gratitudinis erga bruta: illic ratio habetur Affectus, hic Humanitatis.*

Apud Iſraelitas lege cautum erat: Si quis in avis nidum incidiſſet, matrem cum pullis non capiendam, ſed pullos tantùm matre dimiſſa: ut benè ei ſit, diùque vivat. *Deut. 22.*

In Venetis duo luci monſtrantur, alter Junoni Argivæ, alter Ætoliæ Dianæ dicatus. In hiſce feras ita manſueſcere tradunt, ut cervi lupis aggregentur, adventantiumque hominum manibus ſe demulceri patiantur. Quòd ſi quas canes inſectentur, ubi huc confugerint, ab inſectatione ceſſare. Fama verò eſt, celebrem admodùm fuiſſe quempiam, qui in ſponſionibus faciendis facilis eſſet, qua ex re & hominum jocis carperetur. Is in venatores incidit, qui irretitum haberent lupũ, & illis per jocum rogitantibus, Velletne pro lupo vadem ſe conſtituere, ut illata ab eo damna perſolveret, ſic è retibus belluam dimiſſuros? Fidejuſſurum ſeſe confeſſus eſt. Emiſſum deinde lupum, magnum equarum armentum agitantem, nullo notatum cauterio, ad fidejuſſoris ſtabulum adduxiſſe. Eum recepta gratia, equabus lupi notam inuſſiſſe, inde λυκοφόρυς ſive lupiferas nominaſſe, velocitate magis quàm pulchritudine præſtantes. Cujus ſucceſſores & ſignum & nomen equarum generi ſervarunt, utque ſolis eis ſtirps ipſa legitimè perduraret, fœminam nullam alienare voluere. Hac verò tempeſtate genus totum intercidiſſe, *Strabo ſcribit lib.5.*

XENOCRATES Carthaginenſis, Platonis familiaris, non ſolùm hominum, ſed perſæpè etiam brutorum animalium miſertus eſt. Nam cum quodam tempore ſederet in loco aprico, paſſer acriter inſtantem accipitrem fugiens, in ſinum ipſius devolavit. At ille receptam avem cuſtodivit tantiſper, donec accipiter è conſpectu receſſiſſet. Ubi verò jam metu periculoque ſolutam eſſe arbitraretur, nudato ſinu avem dimiſit: inquiens, ſe ſupplicem hoſti non prodidiſſe. *Ælianus lib.13. de Var. hiſt.*

Jactum emiſſe aliquando piſcium ferunt Pythagoram proximè Metapontum, inde laxari juſſiſſe verriculum: non quòd contempſerit ſicut alienigenas & hoſtes piſces, ſed quaſi pro amicis & familiaribus bello captis pretium dependerit. *Plut. lib.8. Quæſt. convival.8. & de Vtil. ex inimicis, & Apul. in Magia.*

Cœranus genere Parius, delphinorum jactum ſagenæ irretitorum, qui concidendi erant, emit, dimiſitque omnes. Brevi poſt navigabat in quinqueremi, qua, uti fama eſt, piratæ vehebantur. Navi in freto, quod inter Naxon & Paron eſt, hauſta fluctibus, cæteriſque ſubmerſis, illum ferunt ſubſternente ſe & ſublevante eum delphino expoſitum fuiſſe ad Xacynthi ſpeluncam, quæ monſtratur etiam nunc, diciturque Cœranion. In hujus honorem feciſſe fama eſt Archilochum hoc carmen:

Quinquaginta viris ſupereſſe dedit Cœranum
Neptunus pater.

Quo poſt defuncto, cum corpus neceſſarii juxta mare cremarent, acceſſit ad littus delphinorum agmen, velut oſtendentium adeſſe ſe ad funus: neque ante, quàm omnia juſta peracta eſſent, diſceſsere. *Plut. de Aman. com.*

ALEXANDER Bucephalum ætate graviorem ne oneraret, ante prælium cum aciem luſtraret & dirigeret, aliis vehebatur equis: inde ſigno dato in illum tranſiliens, ſigna hoſtibus inferebat. *Plut. an Seni tract. reſp.*

Cùm delubrum Hecatompedon moliretur in arce Pericles, ſaxaque, ut fit, quotidie adveherentur plauſtris: ex mulis, qui ſtrenuè laboraverant, & jam ætatis cauſa vacatione erant donati, unus in Ceramicum deſcendens, ſubvehentibus occurrebat, velut hortator eos excitans. Cujus propenſam induſtriam admirati Athenienſes, decrevere ei de publico annonam: ſicut athletæ, qui ex ſenio elanguit, jus in Prytaneo epulandi. *Plut. de Animant. compar.*

ANDRODUS Dacus, à domino Africam provinciam adminiſtrante quotidianis verberibus ad fugam coactus, ſeceſſit in deſerta Lybiæ: ubi cum obvio Leoni ad genua ſuo provoluto ingentem ſpinam è cruento pede revelliſſet, conceptamque ſaniem vulnere intimo expreſſiſſet, ferunt, beſtiam in hoſtimentum beneficii Androdo tribus annis comitem adhæſiſſe, & opimiores ex venatu carnes attuliſſe, quas ille ſub Sole torrebat. Pertæſus demùm vitæ illius ferinæ Androdus, quum reliquiſſet antrum, captus fato inauſpicato, comprehenſus eſt à domini ſatellitibus, & Romæ feris adjudicatus. Ubi idem leo (qui in venatu captus fuerat) è cavea emiſſus, horrendo rugitu omnium in ſeſe ora convertens, agnitum medicum ab injuria reliquarum beſtiarum tutatus eſt. Petentibus propterea cunctis qui aderant, pœna ſolutus eſt Androdus, eique populi ſuffragio donatus leo. Quem quum tenui loro revinctum, compitatim per urbem traheret, ſequentes cum plauſu dixiſſe feruntur: Hic eſt leo hoſpes hominis: Hic eſt homo medicus leonis. *Plin. & Gell. lib.5. cap.14. ex lib.5. Aegyptiacorum Appionis Polyhiſtoris recenſet.*

Mentor Syracuſanus leonem in Syria repertum quum expaveſceret, timenti protinùs ſeſe oppoſuit fera, ejuſque veſtigia cœpit lambere, ſimilis adulanti: ille metu poſito, ex pede leonis (in quo tumorem & vulnus animadverterat) ſurculum ingentem extraxit, ipſumque leonem liberavit cruciatu. Pictura caſum hunc teſtata fuit olim Syracuſis. *Plin. lib.8. cap.18.*

Helpis Samius viſo in Africa leone, pavidus arborem conſcendit. Leo ad arborem procumbens, hiatu miſerationem quærebat, cum os morſu avidiore dentibus inhæſiſſet fixum. Quo evulſo, leo gratias retulit, quamdiu navis in eo litore ſtetit, venatus aggerendo. Helpis Libero patri, cui votum fecerat, templum in Samo ſacravit, κεχηνότος Διονύσου ab eo facto appellatum, ab hiante rictu leonis. *Plin. ibid.*

Cn. Pompejus altero conſulatu editurus ſpectaculum elephantorum pugnantium, viginti, aut, ut quidam tradunt, XVII. invicem commiſit, Getulis ex adverſo jaculantibus. Ibi cùm pilum ſub unius oculo adactum, in vitalia capitis veniſſet, quo ictu ille concidit: univerſi eruptionem tentavere, non ſine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Sed amiſſa fugæ ſpe, miſericordiam vulgi inenarrabili halitu quærentes ſupplicavere, quadam ſeſe lamentatione complorantes, tanto populi Rom. dolore, ut oblitus imperatoris, ac munificentiæ honori ſuo exquiſitæ, flens univerſus populus conſurgeret, diraſque Pompejo, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur. *Plin. lib.8.c.7.*

Tiberio principe, M. Servilio, C. Seſtio Coſſ. ex fœtu corvi ſupra ædem Caſtoris & Pollucis, in oppoſitam ſutrinam pullus devolaverat: quo nomine veluti religionis ergo commendabatur officinæ dominus. Maturè ſermoni corvus aſſuefactus, omnibus horis matutinis evolans in Roſtra ad forum verſus, Tiberium, deinde Germanicum & Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntem populum Rom. ſalutabat, poſtea ad tabernam rediens, mirus hoc plurium annorum aſſiduo officio. Hunc æmulatione vicinitatis, manceps proximæ ſutrinæ exanimaverat. Hujus rei populum Rom. tanta cepit indignatio, ut primò pulſus ex ea regione manceps, mox quoque ideò interfectus ſit, denique funus etiam aliti publicè celebratum. *Plin. Secund. lib.10.c.43.*

Divus Hieronymus cum invidorum malitiam atque infeſtationes ne ferendo quidem poſſet reprimere, Roma ceſſit. Cui Romæ homines adverſabantur, in Syriæ deſerto feræ ſervierunt. In Bethleemitico deinde monaſterio manentem, leo poſita ferocitate blandè adiit. Reliquis metu dilabentibus, ipſi pedem ſpina vulneratum porrexit: ſanatus famulatum exhibuit: nullique jam monachorum metuendus, aſellum ad paſcua educebat, reducebatque ad ſtabulum, agaſonis fungens officio, qui quondam prædonis functus fuerat. *Marul. lib.4. cap.5.*

Habuit Macarius confeſſor in deſertis nemorum locis vicinam ſellæ ſuæ leænam, cujus catulis cæcis quum reſtituiſſet viſum, fera obſequii memor, eidem pelles ovium, & pecudum (quas venabatur) afferebat. *Raviſius.*

Columbano Abbati urſi in ſylvis obtemperaverant. Hejeno onagri crocodilique: hos inſiliens, trans fluvium ibat, illos autem ſarcinis onerabat. Haud ita repentè manſueſcerent ſylveſtria aquaticaque animalia, niſi in homine manſuetudinis vim ſentirent, cui obſequebantur. *Marul.lib.4. c. 5.*

Urſa ad Baſoli Rhemenſis Abbatis cellam confugiens, pedibus ejus provoluta, ſic in tuto fuit, ut canes, qui magno curſus impetu jam tergo fugientis imminebant, repentè ſubſiſterent. Tunc Atila venaturus rem admiratus, prædium quod ibi habebat, Abbati conceſſit: dignum omni beneficio aſſerens, cujus & manſuetudinem aper, & virtutem canes teſtati ſint. *Marul. lib.4.c.5.*

Marianus vel Marinus, Bituricenſis cœnobii monachus, bubulci officio defungi non dedignatus, aprum ad ſe confugientem tutatus eſt. Canibus inſequentibus imperavit, ne illum tangerent. Mira res! canes obedierunt, aper diſcedere noluit: & cujus benignitate ſe ſervatum agnovit, eidem veluti jam pridem manſuefactus humiliter adhæſit. *Marul.l.4.c.5. & l.1.c.3.*

Clothario Britannorum Rege venationi indulgente, aper à venatoribus actus, ad Deicolum Abbatem confugiſſe perhibetur, & ab eo ſervatus, Sylveſtre animal tutiùs ſe in Deicoli ſinu putavit, quàm ſi ſylvas fuga petiiſſet: præſagio quodam lenitudinis pietatiſque ejus. Qui inſequebantur, pepercere belluæ ob reverentiam viri, non auſi eam lædere, quæ ſeſe fidei commiſerat ſancti. *Marul.lib.4.c.5.*

Severus Agathenſis Abbas paſſerum advolantem ita humaniter excepiſſe dicitur, ut cùm ille fracto crure aliorum aucupium effugiſſet, ipſe ſua precatione ſanatum dimiſerit. Qui enim benignè alios accipit, facilè, quod à Domino petit, impetrat. Scriptum quippe eſt: Manſuetis dabit gratiam. *Idem.*

Maxentii Pictavienſis Abbatis humanitas effecit, ut agreſtes volucres non cupidiùs arborum ramis quàm manibus ejus inſiderent. Panis micis, aut tritici granis ab eo paſtæ avolabant. Hinc diſcamus, non ſine beneficio eos dimittere, qui ſine hæſitatione noſtræ ſe crediderint fidei. *Ibid.*

Yvonem presbyterum ad menſam recumbentem, avis quædam albo viridique colore ſpectabilis, de improviſo adiiſſe dici-